VITA SANCTI ANICETI PAPAE, ET MARTYRIS. CUM REBUS MEMORABILIBUS, …

Giovanni Angelo Altemps, Josè Maria Fonseca de Evora, …




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
24 D
22

VITA
SANCTI ANICETI
PAPAE, ET MARTYRIS.

Cum rebus memorabilibus, quæ eō Pontifice in Eccleſia ſedente acciderunt.

A IOANNE ANGELO
DVCE AB ALTAEMPS
COLLECTA.



ROMAE, Ex Typographia Iacobi Maſcardi, MDCXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

JO: LANDR. FIGO.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. M. Sac. Pal. Apost.

Cæsar Fidelis Vicesg.

NOS infrascripti, ex Sacri Apostolici Palatij Magist. D. F. Hiacynthi Petronij, commissione perlegimus eruditissimum librum, Vitamq. *B. Aniceti Papæ, & martyris*, collectam ab Excellentissimo D. Ioanne Angelo Duce Ab Altaemps, nihilq. in eo reperimus, quod aduersetur sanctæ Fidei, aut optimis moribus imo valde perutiles est, ad illustrandam gloriam Beatissimi Pontificis Aniceti. Ideo dignum censemus, vt medijs typis in lucem mandetur. In quorum fidem, nos subscripsimus. Romæ die 12. Decembris *1617.*


Ego Fr. Nicolaus Tinnalus Magister.

Ego D. Io. Franciscus Palombus Cler. Reg. S. Theol. Professor.

Imprimatur, Fr. Gregorius Donatus Romanus Magister, & Reuerendissimi P. F. Hyacinthi Petronij Romani Sacri Pal. Apost. Magistri Socius, Ord. Præd.



EFFIGIES S. ANICETI PP. MART.



GLORIOSO PONTIFICI ANICETO.





CVM innumeras easq. eximias coronas retuleris, vere maxime, vere optime Patriarcha Anicete, tum sanctissimæ vitæ, tum Christiani nominis constantissimæ professionis, tum Ecclesiasticæ curæ tuæ fidei, & pietati commissæ, turbulentissimis temporibus, tum cærulei prædicationis præmij, tum innocentissimi sanguinis profusionis. Quam ergo tibi nectet coronam tuo addictus nomini famulus? cum ab omnipotenti manu innumeris, nulli-

que obnoxijs mortalitati donatus fueris ? nisi laudationis præconia, quæ diuinis commoti oraculis offerimus, vt laudabilis sit Deus in sanctis suis; quoniam verò idipsum ad me inprimis spectat, licèt huic oneri sim longè impar, elaboraui pro virili ea seligere, quæ temporum inuidia, vetustas, nascentique inimica sponsæ de tuis abradere gestis omnino non valuit; & hoc libello conclusi, qui tanquam riuus à Baroniano fonte magna ex parte promanauit, nil tamen prætermisi, quod alienis monumentis insertum repererim, de te, tuisque loquentibus, vt bonus, & æquus lector habeat, ex quo lauream gloriæ tibi possit adtexere.

CAPVT PRIMVM.



YRIA à Syro dicta cum Musformatus Aegypto imperabat Argo Crassus, Quintus Rex Vrthopolis duodecimus Sycioniæ Lybiæ, Athlas cæli syderumque cognitione clarus, latissimis olim inclusa finibus, multarum dotium claritate nobilis, & etiamnum celebris inter Euphratem iacet, quam ab ortu mare circumfundit, alluit ab occasu Arabia felix, & Aegyptus quam à meridie spectant, & Ciliciæ à media nocte. Regio est omnium rerum feracissima ad necessarios vsus, vt hominum vita ad senectutem valida, & viridis perduret, delicijs referta, ad voluptatem, aeris temperies mira est: demum ipsa natura non solum loco opportuno, cæli salubritate, vbertate victus, verum etiam hominum præstantia, qui bellicis artibus litterarum peritia, & corporis sanitate, ac viribus florent, ornauit. Descriptio prouinciæ in qua ortum habuit sanctus Anicetus.

Syriam scriptores in quinque Prouincias pluribus distincta nominibus diuidunt; Comagenem, Seleuciam, Cauasyriam, Phœniciam, & Palæstinam: Comagene exigua est valida tamen Ciuitate, quam Samoxantam dixere munita, & nobilitata fuit. Syria diuiditur in quinque Prouincias.

Maior, meliorque censetur Seleucia, cui etiam Tetrapolis appellationem tribuere, quatuor ciuitates præcipuæ, quibus pax & quies, quæ inter eas vigebat sororum nomen fecit: fuerunt autem Antiochia, Seleucia, Apamea, Laodicæa, quas erexit & extruxit Seleucus Nicanor, Alexandri Macedoni dux, qui in diuisione Imperij, partem Orientis obtinuit. Prima nomen ab illius parente sortita est. Secunda ab eo cognominata. Tertia ab vxore. Quarta ab eiusdem matre. Seleucia.

Antiochia ad flumen Orontem totius Regni caput fuit, Antiochia.

tum

tum quia hic Imperij ſedes erat, tum quia numero incolarum, vi, ſplendore diuitijs, opibuſque pollebat; Mœnium quoque firmitate, turribus conſpicua à Seleuco dicatam Apollini perhibet Clemens Alexandrinus inter ſacros ſcriptores luculentiſsimus; cauſam huic rei dedit annulus, quem de more gerebat, vbi inciſa anchora, qua fuit ab Apolline donatus (vt eſt in fabulis) vel anchora nautica, quam exculpebat Seleucus, vt ſic piſcans aliquis meminerit Apoſtoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur. Sunt qui putant à quodam Abrahami ſeruo conditam fuiſſe Antiochiam, quo tempore Damaſcus conſtructa eſt, quam ante Rebletem dixere, quod affirmare non auſim, nec enim mihi ſit vero ſimile, cum à ſe ſuiſque nominauerit Vrbes, quas idem poſuit Patris pietati, ac memoriæ huiuſcemodi appellationem denegaſſe: præſertim verò cum ante Seleucum nulla huius vrbis extet memoria, ita vt ne quidem arbitrari poſſim fuiſſe ab eo reſtauratam, ac in ampliorem formam reſtitutam.

Clem. Alexand. lib. ... pedag. c. ...

Igitur Antiochiam ornat lib. 1. Athenęus: ſemper floruit, non modo virtute veterum ducum, ſed quia prima Chriſtiani nominis laudem meruit, quam teſtatur Lucas Euang. eiuſdem Antiochiæ gentile lumen, & decus: hic Apoſtolorum Princeps primum ſuam poſuit Cathedram tenuitq. annos ſeptem, hinc originem duxit Ignatius martyr eiuſdem Eccleſiæ Patriarcha, vir conſtantia admirabilis, hinc Ioannes aurea eloquentia Chryſoſtomus. Omitto Exodium S. Petri alumnum, atque diſcipulum, Eratem, Cornelium, Theophilum, Meletium, aliosq. doctrina, pietate, & religione inſignes: prætereo Anaxagoram Syritam ſummum eiuſdem ciuitatis Patriarcham, qui tanquam gemmam annulo ſanctitati, doctrinarum gloriam adiunxit; & tandem diuino amori ſanguinem alacriter profudit; nec verò mediocrem gloriam illi attulit Euſtachij Epiſcopi ſanctitas, & Libanij Sophiſtæ eloquentia: hic enim incredibili dicendi elegantia Imperatorum, Rhetorum, aliorumq. hominum ſibi beneuolentiam adiunxit multum, ſubtilitate

Athen. Lib. 1.

Luc. Euang.

dicen-

dicendi valebant Antiocheni; ideoque in perstringendis aduersariorum vitijs vaferrimi habiti sunt, quod facile intelligitur ex ijs, quæ apud Iulianum Apostatam in Missoplegone leguntur; licet tanquam ab ijs alienus non nihil reprehendat. Penes Antiochiam locus est delicijs maximè abundans, quem ob laurorum copiam ibi enatam, Daphnem dixerunt Accolæ, vitreis fontibus ad voluptatem irrigabatur; in medio luco ingens Apollinis, & Dianæ templum visebatur, quo magna hominum vis, (vt genio indulgeret) confluebat. Hic venerabilis sancti Babilæ martyris reliquiæ positæ erant, ex quo Dæmonum præstigijs, & fraudibus finis factus est; Seleucia Ombicis idest felicis nomen antea gerebat referente Alexandro Polisit. fuit autem à Seleuco diruta, eiusq. nomen illi impositum; hæc Vrbs diuum Basilium ex Seleucia peperit Christiano orbi, qui orationes elegantia, numero, vtilitate spectabiles reliquit: Apamea multis ex partibus promunita fuit; erat enim ibi collis inexpugnabili murorum ambitu circundatus, quem Orontes fluuius, & immensæ latitudinis lacus, aliæq. paludes peninsulam reddunt, ex quo factum fuit, vt Ciuitas Chersonesus vocitaretur: Omnis regio late fertilis est: hic iussu Seleuci Nicanoris quingenti Elephantes pascebantur, & magna copiarum pars alijq. Reges armenta habuerunt fermè ad tria millia equarum; hunc etiam locum colebant domitores, lanistæ, alijq. qui armorum vsum exercerent: ex hac vrbe oriundus fuit Possidonius philosophus celeberrimus. Non procul Laodicea est optime extructa, omnis eius regio vini, omniumq. fructuum fèrax est; hæc Apollinarem dedit virum omni scientiarum genere instructum, qui hæroico carmine paraphrasim hæbraicæ antiquitatis, & psalmis Dauidicis adeo feliciter, & lepide adstruxit, vt si homines veterum scripta non laudarent, Apollinaris poetica ijs paria iudicarent, vt refert Sozzomenus. Celesyria, vel Cauasyria (si fidem Straboni habemus) duos inter celeberrimos montes posita est; Libanum, & antelibanum: Polibius vero testatur spatium quod inter duos montes præiacet appel-

Alexan. Polisit.

Sozzomenus.

Strabo.

Polib.

lari Meſſiam, ſaccaroq. abundare: ex Libani radicibus manat fluuius Iordanes ſanctiſſimo Chriſti corpore celeber; ibidem viſitur lacus Genneſareth, qui aromaticum iuncum, balſamum, & cannam ferre dicitur, Hunc lacum Euangeliſtæ celebrant, ad cuius ripas Saluator noſter multum ſuæ ætatis degit. Eminet in hac Prouincia Damaſcus, pluribus ex cauſis inclita; eam Nicolaus Damaſcenus Auguſti familiaris illuſtrauit, maiori tamen eandem ornauit Ioannes Damaſcenus ſanctitate clarus, quibus adde Meſuem medica facultate inſignem. Eminet etiam Ciuitas Humaſia, quæ diuini Aniceti Pontificis, & martyris natalibus, nobilitatur, quam nulli dictarum Prouinciarum poſthabeas. Ibi Tripolis eſt cui appellationem hanc tres ciuitates tribuerunt Airus, Phedon, Aradus, aut quoniam hæ Ciuitates inuicem ſtadio diſtant, quod Diodoro Siculo probatur. Tyrus præualida inſula fuit, hanc tamen magnus Alexander aggere continenti coniunxit, duabus ornatam portis, Tyria purpurea ferè nulli ſcriptorum intacta eſt, cuius inuentum refert Iulius Pollux; genuit Antipatrum Vatem Apollonio, Maximum Tyrium Academicorum ſectatorem, & Adrianum diſertiſsimum oratorem. Tyrum, & Acem interiacet littus, cuius ex arena yitium fieri conſtat, quod ibi non liqueſcit, ſed tranſuectum. Sidonem artificij patiens fuit. Res memoratur admiratione digna, quæ ibi iacet, dum Triphon Apamenſis, qui regnum Syriæ occupauit, armis Serapidonis ducis Demetrij circa Ptolemaidem diuexabatur; Serapion victus ſeſe recipiebat in terram cum militibus, & victor Triphon per littus maris curſabat, cum fluctu ſeſe eleuans ſupra terram ſe diffudit, omneſq. infeliciter oppreſsit. Sidon par Tyro hominum genere floruit, vel Philoſophiam, vel Mathematicam, vel Arithmeticam, ſpectes. Hæc Boetium Diodatum eiuſq. fratrem Peripateticum vitæ dedit. Ex Phœnicia ortum habuit Thales Mileſius vnus ex ſeptem Græciæ ſapientibus, imo inter eos primus. Illud gloriæ, & ſapientiæ nomen adeptus eſt. Primus Vrſæ minori nomen dedit, (vt ſentit Callimacus,)

Nicolaus Damaſc.

Humaſia diui Aniceti patria.

Diod. Sicul.

Iul. Poll.

Callim.

cus,) idem de Aſtrologia ſermonem inſtituit, Eclypſim Solis intellexit, temporumq. mutationes prædixit, & animæ immortalitatem affirmauit, Deumq. verè eſſe, non tamen genitum, & corda hominum ſcrutari, nec principio, nec fine illum definiri.

Pauca de Palæſtina libabo, quam æterni Verbi Maieſtas decorauit; nunc tamen ferè vniuerſa Syria nomen commutauit, cum totius partium Orientis eſſet præclariſsima, prædationibus, & excurſionibus exercituum expoſita fuerit; hæc innumeros Reges, Pontificesq. eduxit, inter quos Euariſtus floruit, Traiano Imperante; Anicetus ſub Aurelio, & Lucio Vero, Theodorus, ſub Flauijs Conſtantino, Eraclione, & Conſtante; Ioannes Quintus, Seruius ſub Flauio Conſtantino Secundo; Leontius, & Tyberius Aliſsimarus, Siſinius ſub Iuſtiniano Secundo; Conſtantinus, ſub Iuſtino Iuniore, & Philippus Barboſana; Gregorius Tertius, ſub Leone Tertio, Iſaurico.

CAP. II.



REGNVM Syriæ Celeſyriæ Prouinciæ ex Ciuitate Humaſiæ, ex Vico Varo (ita ait Anaſtaſius Bibliothecarius) & Damaſo placet, & commune eſt; tamen Platina de Vico Murco, Martinus Polonus ſupputatione, de Vico Murrha, Frater Martinus Ordinis Prædicatorum Papæ Pœnitentiarius de Vico Murrheæ, ex Damaſi manuſcripto Bibliothecæ Vaticanæ de Vico Vmiſſa, aliud text. ex Damaſo Bibliothecæ Vaticanæ de Vico Vmiſsia, Anonimus manuſcript. antiquiſsimus Bibliothecæ Altempſianæ, ex Vico Myrrho: ſed nos cum Anaſtaſij ſententia, ex Ioanne natum omnes conſentiunt, Platina, Petrus de natalibus in vitis ſanctorum, Anonimus, & alij. Quid egiſſet ante Pontifi-

Tempus ante Pontificatum

Anaſt. biblioth. in Anic.
Damaſc. in vita Anic.
Martin. Polonus ſuppl.
Martin. ad Præd.
Damaſc. in s. in Anic.
Aliud ex bibl Vat. ibid.
Anonim. bibl. Al-

Altempsian. in Anic. Petr. de natal in vit. Anic. & alij. Anonim. in bibliot. Altemps. in vita Anic. tificatum, in temporibus tam remotis, & antiquis, tum pro persecutione Ecclesiæ tum pro negligentia scriptorum, non reperimus inter scriptores gesta tanti viri, de quo dubitare non debemus quin fuerit insignis & celebris vitę probitate, morum castigatione; de quo quidem testantur nobis prædecessorum suorum sanctitates, & successores, quibus valde Ecclesia indigebat, in adeo angustis & difficillimis temporibus, quia tunc nascebatur Ecclesia, vt ait Franciscus *Francisc. Ioan. lib. de Pontif. Rom. ex vet. carmin.* Ioan. in lib. de Pontif. Roman. ex veteribus carminibus desumpta; Vir moribus & sanctitate insignis ad Ecclesiæ regimen accessit Anicetus; & quomodo probarentur primitiua in Ecclesia homines, fidem faciunt Apostoli, virum plenum fide, & Spiritu sancto, vt ait Baron. tom. 1. *Baron. tom. 1.* At quod ad huiusmodi conuentum Apostolicum pertinet, satis superq. exploratum habetur, Apostolorum exemplo laudatissimum antiquum illum vsum in Ecclesia Catholica inuiolabilem permansisse, vt cum quid ad fidem, vel ad bonos mores, & disciplinam Eclesiasticam pertinens consultandum esset, in vnum patres coirent, sicq. simul collectis, singulorum sententia rogaretur, ac denique quid ab omnibus seruandum esset, sanctè ac legitimè communibus suffragijs firmaretur: verum si quis eius rei ipsum exordium repetat, inueniet non tam ab Apostolis, quam ab ipso Christo duxisse principium, atque sumpsisse authoritatem, quando scilicet de summa rerum Christus agens, suos rogauit: quem dicerent homines esse Filium hominis? sic igitur tam Domini exemplo, quam etiam Apostolorum frequentiori vsu, eiusmodi cogendi conuentus, quibus, quæ essent agenda tractarentur, mansit stabilita, atque firmata consuetudo in Ecclesia, quæ eiusmodi conuentus vsitatiori vocabulo consueuit nominare Concilia, de quibus hæc scitè Vincentius Lyrinensis: *Vincent. Lirin.* ipsa Catholica Christi Ecclesia sedula & cauta dispositorum dogmatum custos, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non omittit sua, non vsurpat aliena, sed omni industria hoc vnum studet, vt vetera fideliter, sapienterq. tractando, si

quæ

quæ ſunt illa antiquitus informata, & inchoata, ac curet & poliat, ſi quæ iam expreſſa & enucleata, conſolidet, & firmet, ſi quæ iam confirmata & definita, cuſtodiat. Marianus Scotus, qui quindecim annis in ſacerdotio exactis, Aniceto poſt ſe ſedem Pontificatus tradit; hic ait de obitu Pij, & de ſucceſſione Aniceti: Poſt Pium tandem ſucceſſit Anicetus. Anſelmus de geſtis Pontificum antiquiſs. ma. ſcript. ex bibliotheca noſtra, Higinius, Anicetus, Pius, Nicolai Maniacutij Canonici Lateranenſis carminibus, de Romanis Pontificibus. *Nic. Maniac. in carm. de Rom Pontif.*

Si vis Pontifices Romanæ noſcere ſedis,
Carminibus noſtris perlectis ſcire valebis.
Primo Papatus Petrus eſt in ſede locatus;
Qui conſederunt Linus Cletuſque fuerunt
His Clemens vinctus ſimili fuit ordine functus.
Hinc nutat mundus, ſit quartus, ſit ne ſecundus.
Hinc Anacletus præſedit, hinc Euariſtus.
Hinc Alexandro ſuccedit in ordine Sixtus
Hos iuxta poſitus Theleſphorus eſt & Hyginus,
Additus Anicetus, ſeu præſul ordine Pius;
Sother & Eleuther, quibus eſt victor quoque mixtus.

Platina in Anicetum: variantur hoc loco tempora, cum alij Pium, alij Anicetum proponant; variantur & hiſtoriæ vtcumque fit in tam remota hiſtoria, tantaq. maiorum negligentia; ſatius erit res ipſas paulo ante vel poſt geſtas aliqua ex parte attingere, quam eas animo prætermittere; Euſebij Cronica: Anicetus decimus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum tenet, qui numero decimus inuenimus eſſe Higinius, quia hoc modo Higinius poſtponitur Aniceto, Irænei cap. 3. Higinius poſt Pium, poſt quem Anicetus: cum autem ſucceſſit Aniceto Sother, decimoſecundo loco Epiſcopatum ab Apoſtolis habet Eleutherius, ideo anteponitur Higinius Pio, & poſtea Anicetus, & Sother poſt Anicetum, qui decimoſecundo loco Epiſcopatum ab Apoſtolis habet; ego non intelligo quid ſibi velit Irenæus eo loco citato, quia Sother decimustertius eſt, & Eleutherius decimusquartus. *Euſeb. Cron.* *Iræn. c. 3.*

Con-

Controuersia est, an Pius anteponatur Aniceto, an vndecimus sit, & Anicetus postponitur Pio, & an vero duodecimus sit: nos tamen recipientes Baronij sententiam, dicimus ab obitu Pij decimaquarta creatur Papa Anicetus 27. die Iunij anno salutis 167. & ait Tertull.

Atque Pio suscepit Anicetus ordine sortem:

Ideo Anicetus in Pontificatu subrogatur, qui cum Pio anteponendum esse senserunt, Egysippi & Irænei testimonio efficacissimo refutantur.

Anno Iesu Christi 167. Marci Aurelij, & Lucij Veri Imperatorum annus quintus, Anicetus Pio substituitur 25. die Iunij, vt diximus, 14. nempe die ab obitu Pij creatur Papa Anicetus.

Creatio in Pontificem S. Aniceti.

CAP. III.



ANNO primo eius Pontificatus, nacta occasio vergentis persecutionis, famosissimi quidam Hæretici se intruserunt in Vrbem, vt si quomodo possent nobilissimæ Apostolicæ Ecclesiæ sinceritatem labefactarent. Fuit inter alios, qui id præsumpserunt procax fœmina Marcellina nomine, sectatrix nefandissimæ sectæ Gnosticorum. Hæc enim, inquit Iræneus, Marcellina, quæ Romam sub Aniceto venit, cum esset huius doctrinæ, multos exterminauit; eadem de ea Epiphanius: cæterum illud planè videtur fuisse consilium praui Dæmonis, inferendi in Vrbem Gnosticos Hæreticos, vt non tantum si posset, impijs dogmatibus fideles seduceret, sed & suis ipsorum turpissimis ac nefandissimis actionibus, qui titulo Christianitatis patraret, cæteris fidelibus illic agentibus, ac purè sanctèque viuentibus, summæ infamiæ notas inureret; in Catholicos enim omnia in ipsis commissa scelera redundabant: nam cum Gnostici pro

Iræn. lib. 1. cap. 24.

Epiphan. hæres. 27.

arbi-

arbitrio colere idola, & cuncta facere, quæ Ethnici vellent parati essent, ac proindè inter eos æque vt ipsis gentiles haberentur ijs, qui firmiter ac constanter, se Christianos esse profiterentur, omnia illa turpia, ac pudenda de promiscuo concubitu, & sæuis Thyestæis, quæ Gnostici perpetrarent crimini, vertebantur; ac propterea ea sic de illis sparsa calumnia, omnium in se ciuium animas ijdem concitabant. Contulit se quoque in Vrbem eiusdem Aniceti Papæ tempore, ille homo scelestissimus Hæresiarcha Marcion Ponticus: Iræn. sed Tertull. in cap. aduersus Marcion sic habens. *Iran. lib. 3. cap. 4.*

Sub quo Marcion hic veniens noua Pontica pestis
Dudum secretum facinus suo corde reclusum
Passim vulgo loquens, latebrosa perfidus arte;
Sed postquam cæpit mortis proferre sagittas
Abiectus merito tam sæui criminis auctor,
A sanctis reprobus patuit mirabile monstrum

Et Tertull. licet Epiphan. velit eum Romam venisse post mortem Higinij, nempe sub Pio, quando, vt ait, petens, vt in Ecclesiam reciperetur, repulsam passus est: Valentinum quoque Hæresiarcham, qui se Romam contulerat, sub Higinio mansisse ibi vsque ad Anicetum. Iræn. venerat (vt vidimus) sub eodem Higinio Romam Cerdon, nouarum hæresum; Iræneus auctor: Porro tantum abest, vt Romana Ecclesia eorum sordibus fuerit inquinata, vt Iræn. qui eisdem temporibus vixit, ad hos omnes errores redarguendos Romanæ Ecclesiæ in medium adducat fidei, quam ab Apostolis acceperant, integram puritatem, ac solidam firmitatem. *Tertull. lib. 3. in fin* *Epiphan. aduersus Hæresis 42.* *In lib. 3. cap 4.* *Ir. lib. 4. 28.*

Cæterum tam Valentinus, quam Marcion Romæ cum essent (quod fecerat vt vidimus itidem Cerdon) fidem Catholicam simulantes, in Ecclesiam sunt recepti; sed detecti tandem & reiecti, ac rursum ad pœnitentiam admissi, demum sub Eleutherio ab Ecclesia penitus sunt proscripti. Hæc quidem Tertullianus, qui & ipse his temporibus vixit, narrat verbis huiuscemodi, de Marcione, ac Valentino verba faciens: constat illos, neque adeo olim fuisse, Antonini *Tertull. de prescr. cap. 30.*

ferè

ferè principatu, & in Catholicam primo doctrinam credidiſſe apud Eccleſiam Romanenſem, donec ſub Epiſcopatu Eleutheri benedicti, ob inquietam ſemper eorum curioſitatem, qua fratres quoque vitiabant, ſemel & iterum eiecti, Marcion quidem cum ducentis ſextertijs ſuis, quæ Eccleſiæ intulerat, nouiſſime in perpetuum diſsidium relegati, venena doctrinarum ſuarum diſſeminarunt: poſtmodum Marcion pœnitentiam confeſſus eſt, conditioni datæ ſibi occurrit, ita pacem recepturus, ſic cæteros quoque, quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret, morte præuentus eſt. Hæc Tertullianus: ex quibus videas Hæreſiarchas licet impudentiſsimos, Ponto alterum, alterum ex Aegypto ſe in Vrbem conferre, illiuſque Eccleſiæ communicationem quærere; & ſi non poſſent aliter, dolo tamen ſuffurari, eamque adeo affectare, vt ſimul licèt expulſi iterum recitantes Palinodiam, eidem ſe inſinuare ſtuderent; quippe qui ſcirent, communicantes cum Romana Eccleſia ab omnibus Chriſtiani Orbis Eccleſijs recipi: ab illa vero reiectus ab omnibus æque reſpui videas; & qua arte Marcion eius communionem conſequi conatus ſit, quippe qui vt ſe ex animo illi coniungi, ac penitus inhærere ſignificaret, ſuam quoque non leuem pecuniæ ſummam in eam contulit, nempe ducenta ſeſtertia, quæ pendent quinque aureorum millia, Eccleſiæ donatis, vt fraudem animi pecunia occultaret, recipi petit; & ſub ea conditione regreſſum ad Eccleſiam impetrat, vt ſi quos ſeduxerat, contraria docendo reſtitueret.

Verum ex his licet exiſtimare Dei Eccleſiam (ſicut etiam Hieroſolymis Apoſtolorum tempore) ex fidelium oblatione fuiſſe locupletem: nam ſi peregrinus homo à parente domo pulſus, ac vndique penè profugus, tanta contulit in Eccleſiam, quid putandum feciſſe ciues, eoſdemque plurimos, diuitijs & nobilitate præſtantes? Eſt illud quoque ad priſtinos Eccleſiæ mores inſinuandos, obſeruatione digniſsimum: Ea demum conditione fuiſſe pollicitum Marcioni reditum in Eccleſia, vt ſi quos ſeduxerat, eoſdem Eccleſiæ reſti-

restitueret; nimirum ea adhibita satisfactione vt publicè contraria ijs quæ dixerat prædicaret. At nec illud de Marcione prætermittendum, quod ex Iræneo Eusebius recitat, nimirum: cum sanctus Polycarpus Smyrnæ Episcopus, Romam hoc tempore, sub eodem Pontifice Aniceto venisset, Marcioni in eius conspectum venienti, dicentique, ac roganti: nosce nos ambo; respondisse: noui equidem primogenitum Sathanę. Porro plurimum profuit opportunius Polycarpi Romam aduentus, quippe qui cum Apostolis versatus fuisset, magnamque ex eo apud omnes existimationem consequutus. Quamobrem quamplures eorum (vt idem author ait) quos Valentinus ac Marcion seduxerant ad Ecclesiam, veramque religionem reduxit: Illoque quod in Marcion dixerat experimento docuit, quantum quisque auersari debeat hæreticos, si nec verbotenus, quod & Ioannes fecisse narrabat, communicare voluisset; qua vero occasione Romam venerit Polycarpus, idem Eusebius ex Iræneo commemorat, nimirum, vt dissidia, quæ de tempore celebrandi Paschæ essent oborta, componeret.

Euseb. lib. 5. cap. 13.

Iræn. lib. 3. cap. 3.

Euseb. c. 13. lib. 4.

Quam benignè autem ab Aniceto susceptus fuerit, & de controuersijs quid demum transactum sit inter eos, ex eodem Iræneo, hæc alibi idem Eusebius recitat dicens: cum beatus Polycarpus, Aniceto Episcopatum administrante, Romam aduentaret, cumq. ille & Anicetus de alijs rebus, de quibus inter se discrepabant, pauca contulissent, confestim pax inter eos fuit conciliata; quia pro hoc festo obseruando, quod controuersiæ caput videbatur, charitatis vincula nequaquam ruperunt. Neque tamen Anicetus Polycarpo poterat persuadere, vt suum obseruandi morem deponeret, neque contra Polycarpus Aniceto persuasit, vt consuetudinem Asiaticam (quippe qui morem presbyterorum, qui illum erant antegressi, debere sedulo retinere assererent) vllo modo obseruaret. Quæ cum ita essent constituta, communicabant inter se mutuo, & in Ecclesia Anicetus, ritus qui in Eucharistia agi solent, Polycarpo ob reuerentiam videlicet, quam erga illum habebat, obeundi po-

Idem lib. 5. c. 24.

testatem concessit; atque tandem cum pace alter decessit ab altero, & omnes Ecclesiæ, tum eorum qui decimoquarto die festum Paschatis obseruabant, tum eorum, qui secus placida pace & tranquilla inter se fruebantur. Hucusque de his Eusebius ex Iræn. sed meminisse oportet sic statuisse olim Apostolos, celebrandum Pascha die Dominico, vt tamen, sicuti in multis alijs iudaizantes adhuc complures Christianos, eos nimirum, qui essent ex circuncisione, quorum ingens erat in Asia numerus, æquanimiter tolerarent, quamuis Petrus Apostolus docuerit Romanam Ecclesiam vt die Dominico Domino dedicato Pascha celebraretur; id quod Diuus Ignatius affirmat in Epistola ad populos Magnesianos scripta, & ad Philippenses ait: quod si aliquis cum Hebræis Pascha celebrat, aut eorum festorum dierum simbola admittit, se participem eorum, qui Christo Domino mortem intulerunt, aut suis Apostolis se declarat. Idem nonnulli existimant, quod Ioannes Euangelista suis Asiaticis constituerit, licèt Iræneus sanctissimus, & antiquissimus author, Polycrates, Socrates; alijq. scriptores aliter senserint; tamen sæpe orta est perardua quæstio in Ecclesia Dei circa hoc negotium, & præsertim sub anno Domini 198. Papæ Victoris; vtrum Pascha obseruandum esset decimaquarta mensis, secundum Moysis legem, aut conforme antiquo Apostolorum vsui, de quo Eusebius agit lib. 5. huiusmodi verbis.

Euseb. lib. 5.

Et quia illis temporibus Paschatis obseruationis, non leuis quæstio mota est, quod in laudem Saluatoris celebratur, omnes Asiaticæ Ecclesiæ à quadam antiqua traditione adductæ, censebant quartadecima die Lunæ, in qua iam Iudæis imperata fuerat, vt agnum sacrificarent, illum festiuitatis diem omnino celebrandum, & ieiunijs finem imponendum esse, eadem hebdomadæ die eueniebat, cui quidem rei alteri Ecclesiæ non assentiebantur, quæ per vniuersum terrarum orbem reperiuntur, in quibus quidem inualescebat hic mos Apostolicæ traditionis continuatæ, hoc est ieiunium, altera die non solueretur, nisi cum Saluator à

mortuis resurrexisset. Quapropter Concilia atque Episcoporum conuentus, & congregationes fiebant, & omnes vnanimi sententia ex litteris ad singulas Ecclesias scriptis Ecclesiasticum decretum ratificabant, vt nulla alia die quam Dominico, Domini mortis resurrectio celebraretur; & ideo solum ieiunia, quæ propter Pascha fieri solent, finem haberent. Hoc decretum Episcoporum, qui tunc in Palæstinam conuenerant, custoditur: Ait Eusebius in scriptura, vsque ad hanc ætatem eodem tempore, propter eandem rationem in diuersis Ciuitatibus, varia concilia celebrata fuere, vnum Romæ, in Ponto alterum, in Gallia, in Corintho & alibi; & omnes Episcopi communi consensu decreuere, quod Pascha die Dominico celebraretur. Verum Asiatici volentes pertinaciter obseruare, potius toleratum, quam approbatum vsum decimæquartæ diei Lunæ opinionem immutare noluerutn, ita ait Polycrates concilij Asiatici princeps, adducens auctoritatem multorum antiquorum, & sanctorum Patrum, Philippi, Græcus textus Apostolum appellat, vnum inter septem Diaconos, Ioannis Apostoli, Polycarpi, & multorum aliorum virorum. Quamobrem Victor Papa, tunc vitam agens, omnes Asiæ Ecclesias excommunicauit, & simul proximas, ac si diuersam fidem, & sententiam professæ essent, litteris grauiter obiurgans, & priuans omnes fratres in partibus illis, non colentes Catholicorum communionem; id quod non parum sanctos turbauit, eo tempore florentes, & potissimum Iræneum qui fratrum nomine ad Victorem Papam litteras misit, cohortans, vt tot Ecclesias non excommunicaret; & quamuis hæc sententia non parum rigorosa visa esset, tamen qui rectè, & prudenter perpendet rationes, quæ Pontificem mouerunt, vt id decerneret, euidenter agnoscet, id sapienter actum esse. Dum enim negocium inter Catholicos erat, commodè proferri poterat, ab Asianis Pascha decimaquarta Luna celebrandum esse, vti Iudæi celebrare solent, sed quia huiusmodi indulgentia occasio videbatur fouendi hæresim Hæreticorum quartadecimanorum, existimauit ma-

Polycrat.

gis expedire, amplius eam non sufferre: nam Montani hæresis illis temporibus pertinaciter defensa, affirmabat Pascha quartadecima Luna esse celebrandum; omnesque alios aliter celebrantes aberrare. Eandem falsitatem multi alij hæretici amplexi sunt, licèt cum aliqua differentia: nam Montanistæ Lunæ cursum cum Iudæis sequebantur, sed alij hæretici Solis; imo quod nos admiratione afficit, sic morbus inualuit & viguit, vt Romam ipsam inficere potuerit: cum enim quendam Blastum non puduerit publicè dicere, & perfidè tueri, Pascha quartadecima Luna esse celebrandum, veluti Tertullianus refert, innuens Blastum occultè hebraismum introducere velle, dicens: non aliter nisi secundum Mosaycam legem Pascha esse celebrandum: necesse igitur fuit Victoris remedium, licèt paulo durum videretur. Illi Schismatici, qui ideo ab Ecclesia excommunicati fuerunt, permanserunt plurimi in hac perfidia: Etsi magnus numerus Concilij Nicæni tempore, ad Ecclesiam cohortatus est, tamen post illam Synodum, Syri, & Cilices, & Mesopotamitæ cum Iudæis conueniebant, in definita veritate claudicantes, quod scriptum reliquit sanctus Athanasius in lib. Synod. Propter istam difficultatem, magnus Polycarpus triginta annos post, se Romam contulit, eam cum Aniceto decidere sperans. Quod verò apud Hieronymum legatur Romam venisse, hic propter quasdam super die Paschæ quæstiones sub Imperatore Antonino Pio, Ecclesiam in Vrbe regente Aniceto, Romam venit, vbi plurimos credentium Marcionis, & Valentini persuasione deceptos reduxit ad fidem, cum in serie Romanorum Pontificum Cletum numerare prætermiserit, vel accidit potius, vt (quod superius dictum est) Hieronymus, sicut Optatus & Augustlnus post Higinium posuerit Anicetum, & non Pium, vt cæteri. Idem sanctus Hieronymus tradit de Egesyppo ex ipsius scriptis venisse Romam sub Aniceto, & ibi permansisse vsque ad Eleutherum. Eusebius autem aliter legisse videtur, dum ait: eundem Romæ egisse vsque ad tempota Aniceti, de cuius in Vrbem peregrinatione, hæc

Tertull.

Athan. lib. Syn.

D. Hier. descript. Eccles. in Polycarp.

Idem eod. lib. in Egesyppo. Euseb. lib. 4 cap. 21.

idem

idem ex eiuſdem Commentarijs prodit: Egeſippus quinque libris accuratiſſimam, pleniſſimamq; ſuæ ſententiæ, & opinionis de fide declarationem poſt ſe reliquit, in quibus oſtendit ſe, in itinere Romam verſus ſuſcepto, multis cum Epiſcopis ſermonem contuliſſe, & vnam eandemq; accepiſſe ab omnibus doctrinæ formam, & inſtitutionem; atque illum quidem poſt alia, quæ de Clementis ad Corinthios epiſtola diſſeruit, iſta quæ ſequuntur narrantem audire licet; Eccleſia Corinthiorum in vera, rectaq; doctrina conſtanter perſtabat, vſque ad Primum, qui ibidem geſſit Epiſcopatum, quo cum ipſe dum Romam verſus nauigabam de Religione noſtra communicaui, & Corinthi non paucis diebus commoratus ſum, in quibus dum inter nos de doctrina Catholica multa conferebamus, non parum vterque ab alterius conſuetudine cœpit oblectationis. Cum eſſem Romæ manſi ibi vſque ad Aniceti tempora, cuius tum quidem Eleutherus munus Epiſcopale capeſſit; nulla Epiſcoporum ſedes ſucceſſione ab Apoſtolis ducta; nulla Ciuitas, in qua non ita ſeruata eſſent omnia, vt lex præſcripſerat, docuerant Prophetæ, & Dominus ipſe prædicauerat. Hæc de ſtatu omnium, vt ait, Eccleſiarum, cum Egeſippus teſtetur magnum plane extat teſtimonium ad declarandam, atque inſinuandam Catholicam veritatem: nam ſi illa legitima erat Chriſti doctrina, certaq; traditio Apoſtolorum, quas in hanc diem omnes vbique ſeruaſſent Eccleſiæ, plane conuincitur à Catholica veritate illos omnes deſciuiſſe, qui aliam ab his diuerſam reperiuntur docuiſſe fidei normam, vel mores aliter inſtituiſſe. Ac proinde, qui virginitatem damnant, ieiunia contemnunt, Sanctorum cultum eijciunt, Hierarchicum in Eccleſia ordinem cõfundunt, Sacramenta reſpuunt, ritusq; eccleſiaſticos deſpiciunt, & alia id genus multa agunt, contra ea quæ in Eccleſia obſeruata ſunt, vt vidimus vſque ad Eleutherum Papam, ſub quo Egeſippum ea ſcripſiſſe, apparet manifeſtiſſimi erroris redargui, ac deſertores veritatis eſſe conuinci.

Cum vero poſt hæc multa ex eodem Egeſippo, de ſectis

dicta

dicta recenseat, de eodem demum hæc addit: Nonnulla item cum Euangelio, quod secundum Hebræos, quodquè Syriacum dicitur, cum separatim de Hebraicæ linguæ proprietate disputat, seque narrat tamen, etsi erat Hebræorum stirpe ortus, ab eorum tamen religione, & institutis ad fidem Christi venisse: alia item tanquam à Iudaica traditione sine scripto accepta commemorat. Porrò autem non hìc solus, sed Irenæus, & tota veterum turba, prouerbij Salomonis librum esse præclara, eximiaq; sapientia refertũ affirmabant. Quin etiam de sacræ Scripturæ libris, quæ inter apocrypha numerantur, dixerit quosdam ex illis suo ipsius tempore, à quibusdam hæreticis falso confectos esse narrat. Hucusque ex Egesippo hìc Eusebius, qui alibi de scriptis ab eo libris hæc ait: Egesippus vir propter doctrinæ præstantiam in luce, atque hominum notitia versatus, cuius testimonium iam antea, dum res nullas Apostolorum tẽporum gestas, ab eoq; scriptis traditas commemoramus, sæpius vsi sumus. Iste enim sinceram, & minime fucatam Apostolicæ prædicationis traditionem, quinque libris, illo quidem scribendi genere maxime simplici, ac summisso litteris prosequi aggrediens, tempore, quo ipse floruit apertè indicat: recitat ex eis fragmentum, quo auctor de Antinoo meminit Adriani seruo, ab eodem inter Deos relato. Commendat & sanctus Hieronymus eius in Historia conscribenda simplicem stilum, cum ait: Omnes à passione Domini, vsq; ad suam ætatem Ecclesiasticorum actuum texens historias, multaque ad vtilitatem legentium hinc inde congregans, quinque libros composuit sermone simplici, vt quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret charactere.

Euseb. lib. 4. cap. 8.

At cum tam Eusebius, quàm Hieronymus laudent Egesippi in historia ecclesiastica conscribenda simplicitatem: nemo putet hac ex parte, ipsum recte scribendi historiæ numeros minus explesse: errant mea sententia, qui putant illum scribendi historiæ partes implere, qui res gestas eloquentiæ phaleris exornat, & quæ sunt oratoris apponit; at

qui longe diuersam esse vtriusque tractandi generis facultatem, cum alij sparsim diuersis in locis meminerint. Lucianus eodem argumento scribens commentarium, pluribus docet, ac plane deridet historiam illam, quæ se se pennis eloquentiæ sursum efferens, in encomium conuertitur: affirmans plane decipi illos, qui duo requirant in historia iucundum, & vtile; adulterinam hanc diuisionem nominans, atque ait: Vnum enim opus est historiæ, & vnus finis, vtilitas, quæ ex sola veritate conciliatur, iucundum verò si & ipsum sequatur, melius quidem hoc, perinde, vt si forma, seu pulchritudo athletam: sin minus, nihil vetat ab Hercule prognatum esse Nicostratum Isidoti filium, generosus cum sit, & vtroque colluctatore suo fortior, etiam si ipse quidem quoad faciem attinet, turpissimus videatur. Hæc, & alia plura ipse in eandem sententiam; laudatque proinde dictionem humi incedentem, & cum pulchritudine, & magnitudine simul eorum, quæ dicuntur, elatam. Sed & Plinius ad Captionem: Orationi (inquit) & carmini adest pauca gratia, nisi eloquentia sit summa: historia quoquo modo scripta delectat, & post nonnulla: Habent quidem oratio, & historia multa communia, sed plura diuersa in his ipsis, quæ communia videntur. Narrat sane illa, narrat hæc, sed aliter. Huic pleraque humilia, & sordida, & ex medio petita: illi omnia recondita, splendida, & excelsa conueniunt. Hanc sæpius ossa, musculi, nerui: illam tori quidam, & quasi vitæ docent. Hæc vel maximè vi, amaritudine, instantia; illa tractu, & suauitate, atque etiam dulcedine placet; postremo alia verba, alius sonus, alia constructio, Nam plurimum refert (vt Thucydides ait ἤτημα sit an ἀγνώσμα, quorum alterum oratio, alterum historia est. Hucusque Plinius. Cum igitur Egesippi historia ad hos fuerit modos omnes attemperata, ipsum à cæteris imitandum, qui res Ecclesiasticas sunt memoria commendaturi, quis poterit dubitare? Nam & hæc ibidem Plinius ait: Inuenio apud Sapientes, honestissimum esse maiorum vestigia sequi, si modo recto itinere præcesserint: eiusmodi quidem scribendi

Lucian. lib. quomod. hist. scrib. sit.

Plin. lib. 5. epist. 8.

genus

genus maiores nostros esse sectatos, cum plurima alia exempla declarant, tum S. Basilius oratione in Gordium Martyrem demonstrat his verbis: Sanctorum memorias orationis, & eloquentiæ fuco prosequi, non fas erit illi, &c. & paulo post: Illorum enim, qui in fide claruerunt, historia simplex, velut lucem quandam Dei cultoribus ad virtutis iter ostendit; ac rursus: Quod si reliquorum facta virorum eloquentiæ floribus ornantur; Sanctis tantum ad ea, quæ maxima gessere demonstranda, sat fuerit oratio simplex; Hæc Basilius. At de his obiter dictis hactenus, in quæ, occasione historiæ ab Egesippo conscriptæ, casu velut incidimus. Porrò illa magno damno deperdita cum sit, perpaucis eius fragmentis perfruitur, ab Eusebio recitatis. Denique eiusdem Egesippi sanctissimè vita perfuncti, in Domino requiescentis anniuersaria memoria in sacris tabulis scripta meruit consecrari. Feruntur Egesippi nomine Commentarius de exitio Hierosolymitano, & ad ipsum apposita Anacephaleosis, sed alterius planè auctoris est opus, qui, vt aliàs diximus, post tempora Constantini floruit.

CAPVT IV.

Annus secundus Aniceti.



ANNO centesimo sexagesimo octauo Seruilius Pudens, & Suffidius Pollio Consules creati sunt: Claruisse namque his temporibus Romæ Pudentium familiam, ex duobus iunctis Consulatibus eius, facilè possumus intelligere, eiusdemque familiæ fuisse Pudentem Senatorem Christianum, Meminit & Tertullianus eiusdẽ nominis, Proconsulis, cuius laudat in Christianos iudicando modestiam, cum ait: Pudens etiam missum ad se Christianum, in elogio concussione

Tertull. ad Scapul. cap. 4.

eius

eius intellecta dimisit, scisso eodem elogio, sine accusatore se negans audire hominem secundum mandatum.

Eodem anno Parthico bello post quinquēnium absoluto, L. Verus vna cum M. Aurelio triumphauit: Tot enim annis durasse illud tradit Iul. Capitolinus, hocque anno sexto de Parthis superatis actum esse triumphum, Eusebius habet. At Parthico bello confecto, parari cœptam expeditionem Marcomannicā, quam diu ante idē Marcus Imperator fuerat meditatus, sed suspendisse eam vsque ad Parthicum bellum perfectum scribit Capitolinus. Porro cum idem alibi tradat Lucium ipsum aliquandiu Vrbis delitijs esse detentum, constatq; fuisse pestem sub eo, post sequentem annum, colligitur eosdem Imperatores non nisi post duos annos ad bellum esse profectos, quod ex ijs, quæ dicemus inferius euidentius apparebit. Hæc autem ad exactam temporum chronologiam insinuandam, prætermisisse minime oportuit.

Euseb. in Chron. *Idem in Chron.* *Iul. Capit. in Mar.*

CAP. V.
Annus tertius Aniceti.



MARCO AVRELIO tertium, & Vinidio Quadrato Coss. persecutio in Christianos iam olim excitata, acrius recrūdescit, atque ferocius sæuit. Quo enim se erga Deos studiosiorē M. Aurelius præbuit, & in illorum hostes, ac quos diceret impios Christianos, se inhumaniorem exhibuit. Hoc siquidem anno, cum magnus metus ex Marcomannico bello immineret, idem Imperator totus fuit in concilianda sibi numinum gratia. Siquidem ait Capitolinus: Tantus timor belli Marcomannici fuit, vt vndique Sacerdotes Antoninus acciuerit, peregrinos ritus impleuerit, Romam omni genere lustrauerit, retardatusque à bellica profectione sit; Celebrauit, & Romano ritu lectisternia per septem dies hæc

Iul. Cap. in Mar.

ipſa: At ſi (vti moris erat ijs temporibus) quærebantur à Dijs reſponſa, eadem ſi non vera, ſaltem confiѐta, omnia pariter in necem Chriſtianorum conſpiraſſe, & quaſi prætextu placandorum numinum, illorum hoſtes eſſe tollendos reſpondiſſe, par eſt exiſtimare. Quamobrem, qui inter Chriſtianos erant omnium ſpectatiſſimi, eos ad necem petendos ante alios conſilium fuiſſe videtur: quapropter S. Polycarpus vſque in hanc diem poſt tot tantasq; perſecutiones, ipſis etiam Gentilibus reuerendus, poſt alios ad necem tandem vulgi clamore quæritur hoc ipſo anno, ſeptimo M. Aurelij Antonini, vt de eo ſcribit Euſebius. Porrò res geſta ab eodem Euſebio ex litteris Smyrnenſis Eccleſiæ in hunc modum deſcribitur: Eodem tempore Polycarpus, cum Aſia maximis perſecutionum procellis turbaretur, martyrio ſupremum vitæ diem egit, cum alijs duodecim ex Philadelphia, ex eiuſdem generis obitu, & hilariter eam pertulerunt. Ob reuerentiam, qua omnes Polycarpum proſequebantur eius actus publicè in Eccleſiam perlegebant, vti teſtatur Gregorius Turonenſis in lib. de glor. martyr. Inter alios Polycarpi diſcipulos, celebres, atqne eximij fuerunt Thyrus Diaconus, Felix, & quidam alter ab eodem in Galliam miſſus, & apud Auguſtodunum martyrium ſunt conſecuti, qui fortuitò ſecum perduxerunt Polycarpum, ſeu (vti ego exiſtimo) Polycarpus eos ſecum duxit: ſed cum ſe contulit ad ſanctum Anicetum, poſtea in Galliam miſſi ſunt, vt Euangelium prædicarent; & tunc credi poteſt, quod ſcripſerit epiſtolam ad Dionyſium Areopagitam, de quo meminit Suidas. Quod autem ad diſcipulos Polycarpi pertinet præter Irenæum, de quo facta eſt ex ſuis ipſius ſcriptis mentio, & poſt Florinum, qui in impietatis foueam lapſus eſt, in antiquis tabulis eccleſiaſticis memoriæ proditur: Andochium Presbyterum, Tirſum Diaconum, & Felicem eiuſdem Polycarpi diſcipulos, ab ipſo in Gallias eſſe miſſos, eoſdem apud Auguſtodunum fuiſſe martyrio coronatos. Benignus quoque Presbyter, qui martyrium ſubijt apud Diuionem, eiuſdem Polycarpi fuit diſcipulus, ab eodemq; in cæteris in Gal-

Euſeb. lib. 4. cap. 14.

Greg. Tur. lib. de gloria mart.

Galliam est amandatus, vbi tunc videtur consummasse martyrium. Cum M. Aurelius ob expeditionem Germanicam in Gallijs ageret, mutuam quandam inter Asianos Christianos, & Gallos intercessisse amoris, & consuetudinis coniunctionem; tum Polycarpi de eis adeo benemerentis declarat studium; tum Lugdunensium, & Viennensium ad Asianos de rebus gestis martyrum litteræ scriptæ, apertè indicant, de quibus inferius dicturi sumus; ex amicitiæ namque vsu inter Dionysium, qui dictus est Galliarum Apostolus, & Polycarpum eiusmodi inter Asianos, & Gallos amicitiæ fœderis occasionem (quod dictum est) prouenisse putandum: Fortasse etiam accidit, vt cum Polycarpus ad Anicetum Romam se contulit, hos secum ex Asia duxerit, qui inde prædicandi Euangelij gratia, in Gallias fuerint ablegati.

Addit hæc postremo Eusebius: Sequuntur, inquit, deinceps in eadem epistola, facta memoratu digna aliorum martyrum, qui Pergami, quæ est Vrbs Asiæ, mortem appetiuerunt; Carpi, Papyli, & mulieris Agathonicæ, qui post multas, & eximias fidei, & religionis nostræ confessiones, martyrio gloriosam mortem assecuti sunt; hucusque ex libello Smyrnensis ecclesiæ Eusebius. Porrò horum, quorum martyrum acta recensita inueniuntur, in quibus cum legatur, hos etiam passos tempore Decij, eadem nostræ sententiæ fauere noscuntur, quod scilicet in eodem libello Smyrnensis Ecclesiæ, plures diuersis temporibus passi, martyres scripti essent. At de his satis. *Euseb. lib. 4. cap. 14.*



CAP. VI.

Annus quartus Aniceti.



NNO centeſimo ſeptuageſimo Coſs. Veſtio Paulo, & Iunio Montano, Agente in Imperio M. Aurelio cum Collega Lucio Vero annũ octauum; Lues magna, inquit Euſebius, prouincias occupauit, Roma ex parte magna vexata. Iulius Capitolinus etiam tempore apparatus expeditionis Marcomannicæ, cum M. Aurelius totus eſſet in conciliandâ ſibi Deorum gratia, immanem eiuſmodi peſtilentiam exortam tradit, cum poſt recenſitos deorum cultus, mox ſubdit: Tanta autem peſtilentia fuit, vt vehiculis ſarraciſque cadauera ſint exportata. Tunc autem Antonini leges ſepeliendi, ſepulchrorumq; aſperrimas ſanxerunt: quandoquidem cauerunt vt ſi quis vellet, fabricaret ſepulchrum, quod hodieque ſeruatur. Et multa quidem millia peſtilentia conſumpſit, multoſq; ex proceribus, quorum ampliſsimis Antoninus ſtatuas collocauit: Tanta quidem clementia fuit, vt ſumptu publico vulgaria funera iuberet efferri; hæc ipſe breuiter admodum, & ſubobſcurè eiuſmodi de ſepulchris latæ à Marco leges perijſſe videntur: cuius tantum ab Vlpiano hoc citatur reſcriptum: Diuus tamen Marcus reſcripſit, nullam pœnam meruiſſe eos, qui corpus defuncti in itinere per vicos, aut oppida tranſuexerunt: (quamuis talia fieri ſine permiſſu eorũ, quibus permittendi ius eſt, non debeant;) de eadem quoque peſtilentia, eiuſq; origine idem Capitolinus hæc alibi, cum agit de Lucio Vero: Fuit eius fati, vt in eas Prouincias, per quas redijt Romam vſque luem ſecum deferre videretur. Et nata fertur peſtilentia in Babylonia, vbi de templo Apollinis ex arcula aurea, quam miles forte inciderat, ſpiritus peſti-

Euſeb. in Chron.

Iul. Cap. in Marc. Aurel.

Iul. Cap. in L. Vero

lens euasit; atque inde Parthos, orbemq. complesse. Quàm iusto Dei consilio factum est, vt ab eo, ex quo Aesculapium haberetur Deum pestis propulsatorē, pestis egressa, Romanum Imperium deuastarit? Sed hæc omnia ceciderunt in vltionem sanguinis Christiani. Meminit eiusdem quoque pestis Galenus, qui tunc Romæ agens, eius vitandæ causa fuga sibi consuluit, in patriam rediens; agens enim de ea maximam appellat pestilentiam, eamq. longissimam fuisse tradit, persimilemque ei fuisse scribit, quam Thucydides narrat: Adeo enim sæuit lues ipsa, vt cum depasta esset innumeram Romanorum multitudinem, ad futurum bellum Marcomannicum, oportuerit seruos & alios, præter vsum armare. Rursum verò restituisse numinum cultum, quàm diligentissime Imperatorem, vt ingruentem in dies magis pestem propulsaret: tradit idem, qui supra Capitolinus, cum ait: Instante adhuc pestilentia, & deorum cultum diligentissimè restituit; & seruos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam parauit, quos voluntarios exemplo Volonum appellauit: armauit etiam gladiatores, quos obsequentes appellauit, latrones etiam Dalmatiæ, atque Dardaniæ milites fecit; armauit & Diocmitas; emit & Germanorum auxilia contra Germanos; hæc ipse. Sed hæc in secūda expeditione facta esse, post mortem Lucij idem Author affirmat: quo item tempore filium eius septennem oborto sub aure tubere, ea vi morbi sublatum esse tradit. Alijs adhuc cladibus Vrbem ipsam, atque Romanum Imperium fuisse exagitatum, docet his verbis: Interpellauit istam felicitatem, & securitatem Imperatorum prima Tyberis inundatio, quæ sub illis grauissima fuit; quæ res, & multa Vrbis ædificia vexauit, & plurimum animalium interemit, & famem grauissimam peperit; quæ omnia mala Marcus sua cura, & præsentia temperauit. Verum hæc de excrescente Tyberi, ipso Imperij exordio cōtigisse videtur.

Gal. 3. de presag. ex puls. c. 3.

Iul. Cap. in Mar.

Cæterum tantum abest, vt his cladibus Gentiles afflictati à Christianorū persecutione cessarint: vt potius quod sibi persuaderent, hæc omnia mala ob spretum à Christianis

nis deorum cultum, ab illis immitti. Idcirco in eos sæuius insanire, acerbius insilire, & quasi authores malorum omnium, iunctis animis conspirare studuerint: Nam ad hæc respexisse quoque tempora videtur Tertullianus, cum ait: Aduersus sanguinem innocentium conclamant prætexentes, sane ad odij defensionem, illam quoque vanitatem, quod existimetur omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi, Christianos esse causam. Si Tyberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arua, si cælum stetit, si terra mouit, si fames, si lues statim, Christianos ad Leonem. Tantos ad vnum? sicut etiam ad hæc eadem tempora allusisse visus est, cum superius ait: Si enim hostes exertos non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum. Plures nimirum Mauri, & Marcomanni ipsique Parthi, vel quantumcumque ipsius tamen loci, & suorum finium gentes, quàm totius Orbis; quos enim populos nominauit, sub horum Imperio aduersus Romanos arma mouisse, certum est de Parthis, & Marcomannis iam dictum est: de Mauris idē affirmat Iulius Capitolinus inualuisse, ac deuastasse Hispanias: quod bellum per legatos confectū ait.

Iul. Cap. in Mar.

Perseuerarunt hæc quamdiu Gentiles, qui in Christianos hanc calumniam frequenter, vt quoddam telum potissimum intorquentes, obiectare consueuerunt, cuius rei causa permotus Arnobius (vt ipse testatur) aduersus Gentes libros septem conscripsit, in quorum exordio hæc præfatur: Quoniam comperi nonnullos, qui se plurimum sapere suis persuasionibus credunt insanire, bacchari, & velut quiddam promptum ex oraculo dicere, postquam esse in mūdo Christiana gens cœpit, terrarum orbem perijsse, multiformis malum affectum esse genus humanum, ipsos etiam cælites derelictis curis solemnibus, quibus quondam solebant inuisere res nostras, terrarum ab regionibus exterminatos: statui pro captu, & mediocritate sermonis, contraire inuidiæ, & calumniosas dissoluere criminationes, ne aut illi sibi videantur, popularia dum verba depromunt, magnum aliquid dicere, aut si nos talibus continuerimus à litibus obtinuisse

nuisse, se se causam putent, vitam sui vitio non assertorum silentio destitutam. Non enim negauerim validissimam esse accusationem istam. Refellit eandem Tertullianus, tum in Apologetico, tum scribens ad Scapulam. Cyprianus itidem agens aduersus Demetrianum, & in Commētario illo, quem de Idolorum vanitate edidit, sed & alij complures Ecclesiastici Doctores eandem calumniam potentissime confutarunt. At non hæc tantum Gentiles sub Etnicis Imperatoribus Christianorum hostibus in nos iaculari, sed etiam sub Christianis Principibus eadem procaciter obiectare non desierunt; quorum causa, vt suo loco fusius dicemus, Orosius scripsit historias; & sanctus Augustinus eruditissimos illos de Ciuitate Dei commentarios ingenti studio, atque solertia elaborauit. *Cipr.*

Hoc eodem anno octauo Imperatorum, post Heronem Antiochenum Episcopum, qui viginti sex annos in Episcopali functione expleuit, eligitur Theophilus vir perquam eruditus, cuius excellentis ingenij, ac pietatis complura Eusebij tempore, vt ipse tradit, extabant opera; sedisse hunc annos octo idem author affirmat, Verum cum ex eius commentarijs ad Autolicum constet ipsum superuixisse Marco Aurelio Imperatori, dicēdum profecto est, dictum annorum numerum excessisse: quamobrem Nicephori chronologiæ de Theophili annis æquius est assentiri, qui sedisse eum tradit annos tresdecim; de eius lucubrationibus Eusebius agens hæc habet: Theophili vero, quem Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum fuisse supra monstrauimus, tres libri extant, quos Religionis elementa, & quasi seminaria complectentes, Autolico dedicauit: aliud item opusculum edidit, cuius inscriptio est: Contra Hermogenis hæresim, in quo testimonijs sumptis ex Apocalypsi vtitur; alij sunt eius libri, qui ad primam Christiani in fide institutionem spectant; Cum verò Hæretici tanquam zizania etiam id temporis, non minus quàm antea sincera doctrinæ semina hominum moribus mandata, labefactare niterentur; Ecclesiarum pastores vndique illos tanquam immanes, & agrestes *Euseb. in Chron.* *Euseb. lib 4. cap. 23.*

bestias

bestias à Christi ouibus arcere, & à præda depellere laborabant; Interdum fratres admonendo, cohortandoq; non rarò ipsos hæreticos aperto marte adoriendo, & coram absque scripto, tum disserendo cum illis, tum eorum errores refutando; nonnunquam quibusdam commentarijs, quos diligenter scripserant, opiniones ab illis inuentas accuratissimè coarguendo; Theophilum autem cum alijs nonnullis contra eos viriliter dimicasse, ex libello quodam summa industria ab eo contra Marcionem elaborato, qui quidem cum alijs eius libris, quos diximus, est ad hoc vsque tempus seruatus, satis perspicuum est: hæc Eusebius.

Hier. de scrip. eccl. in Theophilo.

Sanctus Hieronymus eius scripta relegēs, addit: legi sub nomine eius in Euangelium, & in Prouerbia Salomonis, commentarios, qui mihi cum superiorum voluminum elegantia, & phrasi non videntur congruere: Idem alibi ad Algasiam scribens, hæc de eodem habet: Theophilus Antiochenus septimus post Petrum Episcopus, qui quatuor Euangelistarum in vnum opus dicta coniungens, ingenij sui nobis monumenta reliquit; hæc super hac parabola in suis Commentarijs est locutus; Verum cum septimum numeret Antiochenum Episcopum Theophilum post Petrum, Eusebius, & alij sextum ponunt, nempe post Petrum primo loco Euodium (licet alij Ignatium recenseant) secundo loco Ignatium, tertio Heronem seniorem, quarto Cornelium, quinto Heronem iuniorem, sexto vero Theophilum, de quo agimus collocant. Rursus idem in præfatione in Euangelium Matthæi testatur se legisse eiusdem Theophili Commentarios in Matthæum; in fine autem Commentariorum in quatuor Euangelia de symbolicis in Ecclesia formulis: hæc eleganter idem Theophilus ait: Hortus Domini est Ecclesia Catholica, in qua sunt rosæ Martyrum, lilia Virginum, violæ Viduarum, hæderæ coniugum: nam illa, quæ æstimabat, cum hortulanum significabat, scilicet cum plantantem diuersis virtutibus credentium vitam, hæc ipse distinguens ijsdem cuiusque status in Ecclesia ordinem, & prærogatiuam.

Idē epist. 151. ad Algas. q. 6.

Idem

Idem verò Theophilus ſcribens ad Autolicum in primis Catholicam veritatem, ad quam, velut ad tutum portum confugiendum admonuit, ac rurſus ipſas hæreſes, quas ſcriptis exagitauit, eiuſmodi venuſta ſimilitudine præſignando; quo modo quis eas poſſet effugere demonſtrauit, ſic dicens: Quemadmodum in mari Inſulæ quædam prominent habitabiles, frugiferæ, & quibus eſt aqua ſalubris, nec non naualia, & portus commodi, quibus ſe naufragi receptent, ſic Deus dedit mundo, qui peccatorum tempeſtatibus, & naufragijs iactatur, Synagogas, quas Eccleſias nominamus, in quibus veritatis doctrina feruet, ad quas cõfugiunt veritatis ſtudioſi omnes, quotquot ſaluari debent; denique iudicium, & iram vitare volunt; ſed quod hic Theophilus non ad vnam, ſed ad omnes quos velit, confugiendum monet Eccleſias, planè declarat, quod diximus ex Egeſippo omnes Eccleſias, ſiue ab Apoſtolis, ſiue ab eorum ſucceſſoribus fundatas in Ciuitatibus tam Orientis, quàm Occidentis ſemper perſtitiſſe in eam diem in fide Catholica; Ac proinde hæreticos nullos in eis habuiſſe his temporibus fundatas, vel ſpecietenus Eccleſias, ſed inſtar ferarum extra iter, luſtra vagatos eſſe, de quibus idem hæc ſubdit: vt verò aliæ ſunt Inſulæ ſaxoſæ, aquâ potabili vacuæ, ſteriles, efferatæ, inhabitabiles; quæque plurimum damni, tum nauigantibus, tum naufragis afferunt. In his etiam naues atteruntur, & quotquot ad eas appellunt, extrema pericula ſubeunt; Ita ſunt doctrinæ errores, dico hæreſes, quæ ſuos ſectatores perdunt; non enim à præuia veritate ducuntur. Verum quemadmodam piratæ, vbi impleuerunt naues ſuas penetrant ad prædicta loca, vt exitium apportent; Sic accidit ijs qui relicta veritate, in hæreſes abeunt, à quibus tandem perduntur: hæc ipſe.

At ſcribendi ad Autolicum libros illos, ea fuit impulſus occaſione, quod ipſe Autolicus inter Gentiles, cum primis diſertus, non ſecus ac Celſus Epicureus, aduerſus Chriſtianam Religionem, ad ipſum Theophilum Commentarium conſcripſiſſet, quo Græcorum cultum, nempe Genti-

liciam superstitionem exaltãs, laudibus celebraret,& ipsam Christianam Religionem, vt qui illi addictus esset, Theophilum subsannaret; ad quem ipse respondens, ac confutans,hisce eum in primis verbis compellat: Tu me ò amice tantum non obruisti sermonibus tuis, quibus declaras te multum gloriari, & superbire propter Deos tuos lapideos, ligneos, sculptos, fusos, fictos & pictos, qui neque cernunt, neque audiunt. Præterea mihi crimini vertis, quod sim Christianus, & insigne, præclarumque hoc nomen geram. At ego quidem libenter confiteor me Christianum esse, gaudeoq; hoc nomine, quod DEO gratum, & acceptum est appellari, & nihil æquè in votis habeo, quam vt sim ευχρηστος, idest bonus erga Deum, siue, vt me bonum Deo exhibeam, Non enim vt tibi videtur odiosum, & molestum nomen est; Verum enimuero tu fortassis ita sentis de Deo, quod αχρηστος, idest malus erga Deum &c. Tribus enim libris tum veritatem Religionis Christianæ demonstrat; tum etiam falsitatem ipsorum Gentilium superstitiones redarguit. Cæterum, quod tam Eusebius, quàm etiam Hieronymus tradant scriptum fuisse à Theophilo Antiocheno librum aduersus Hermogenẽ Hæresiarcham falli eos necesse est affirmare, qui eius hæresim post hæc tempora dixerunt, in Ecclesiam erupisse; Quamobrem, vt de eo hìc agamus,tẽporis ratio à nobis exigit: Quis nam igitur,qualisuè fuerit Hermogenes hìc opportuno loco dicamus. Docuit in Africa,picturæq; studiosus,ex Christianis transijt ad Philosophos Stoicos, ex quibus inferre conatus est in Ecclesiam,de materia ingenita opinionem,& ab alijs turpitunem morum, haud dubium hanc hæresim sugillauit Tertullianum in libro de præscriptionibus cum ait: & vbi materia cum DEO æquatur, Zenonis disciplina est fortasse, vt adularetur Imperatori Stoicam disciplinam profitẽti: Ex schola Stoicorum Hermogenes ingenitam materiam in Christi Ecclesiam inuehere conatus est. De eo idem Tertull.in Commentario,quem in ipsum scribit, multa in medium prodit, ac primum, quod nouellus esset hæreticus,

Tertull.de præscript. cap.7.

Idem in Hermog. cap.1.

quippe

quippe qui adhuc, cum ſcriberet in eum, viueret. Nam ait: Hermogenis autem doctrina, tam nouella eſt; denique ad hodiernum homo in ſæculo, & natura quoque hæreticus etiam turbulentus, qui loquacitatem facundiam exiſtimet, & impudentiam conſtantiam deputet, & maledicere ſingulis officium bonæ conſcientiæ; ſubdit, & de eius arte pingendi: præterea pingit licitè, nubit aſſiduè, legem DEI in libidinem defendit, in artem contemnit, bis falſarius, & cautherio, & ſtilo totus adulter, & prædicationis, & carnis. Et paulò poſt: A Chriſtianis enim conuerſus ad Philoſophos, de Eccleſia ad Academiam, & porticum, vnde ſumpſit à Stoicis materiam cum domino ponere, quæ & ipſa ſemper fuerit, neque nata, neque facta, hæc initium habens omnino, vel finem; ex ea Dominus omnia poſtea fecerit. Hanc primam vmbram planè ſine lumine, peſſimus pictor illis argumentationibus colorauit. Rurſum verò malum à materia prodijſſe ipſum docuiſſe tradit.

Adhæſiſſe Hermogeni ſodalem Nigidium quendam, idem alibi teſtatur, cum ait: Cæterum, & Nigidius neſcio quis & Hermogenes adhuc ambulāt, peruertētes vias Dei. Cupio oſtendant mihi ex qua auctoritate prodierunt: addit Philaſtrius hæc de Hermogene: Is dicebat Corpus Domini in Sole eſſe depoſitum, Diabolum autem, & Dæmones eſſe in materiam refundendos. Porrò ex Hermogenis hæreſi Manichæorum eſſe deductam hæreſim, Gregorius Nyſſenus docet: aduerſus verò Hermogenem non tantum, quos diximns Theophilus, & Tertullianus; ſed & Origenes in Periarcho, Euſebius, & alij, qui in Exameron Commentarios ediderunt. Ex Hermogene prognatos eſſe non ſolùm Manichæos, quod diximus, ſed & Sabellianos auctor eſt Philaſtrius, qui addit Galathas omnes, Seleucum, & Hermiam eandem de materia Deo congenita opinionem ſectatos, aliaque addidiſſe, nempe quod ſubdit: Paradiſum viſibilem appellant ex Platone, animas hominum de igne, & ſpiritu eſſe exiſtimantes: iſto baptiſmo non vtuntur, propter verbum hoc, quod dixit Ioannes: Ipſe vos baptiza-

Gregorì Nyſſ. de Hermog. c. 24 & 25.
Orig. in Periarch. lib. 1. & 2
Euſeb. de præpar. l. 7. c. 8. 9.
Philaſtr. de hæreſ. cap. 55. 56. 57.
Luc. 3.

ptiza-

ptizabit in ſpiritu, & igne: iſti Angelos dicunt creatores eſſe animarum noſtrarum; non Chriſtum Saluatorem; Mundum autem iſtum infernum eſſe aſſerunt, & reſurrectionem in filiorum procreatione hanc eſſe prædicant, quæ fit in humano genere quotidie, non illam immortalitatis futuram, & glorioſam annunciant expectantes, qui ab his deſcenderant, Hermiotitas dictos: alios quoque tradit errores, quos recenſet cumulaſſe: hos omnes Hermianos ab Hermia, vel Seleucianos à Seleuco nominat Auguſtinus. Quod verò tam Philaſtrius, quàm Auguſtinus nonniſi cum agunt de Sabellianis, de Hermogene meminerunt, accepta eſt à quibuſdam erroris occaſio, vt putarunt poſt Sabellium vixiſſe Hermogenem. Porrò Hermogenis ſectatores ab hæreſi, quam aſſererent, Materiarij nuncupati ſunt, ab eodem Tertulliano, quos æquè omnes Hermogenianos dictos Lactantius confutat.

August. de Hæresi cap. 59.

Tertull. contr. Hermog. c. 25.
Lactant. lib. 2. c. 9.

CAP. VII.
Annus quintus Aniceti.



SEQVENTI anno centeſimo ſeptuageſimo primo Soſio Priſco, & Celio Apollinare Conſulibus, Marcomānicum bellum certum eſt, ipſis Imperatoribus ad bellum proficiſcentibus, de quorum profectione, ac obitu Lucij Veri hęc ſcribit Capitolinus: Profecti tamen ſunt paludati ambo Imperatores, Parthis, & Marcomannis cuncta turbantibus, alijs etiam gentibus, quæ pulſæ à ſuperioribus Barbaris fugerant, niſi reciperentur, bellum inferentibus. Nec parum profuit iſta profectio, cum Aquileiam vſque veniſſent; nam plerique Reges cum populis ſuis ſe retraxerunt, & tumultus Auctores interemerunt. Quadi autem amiſſo Rege ſuo, non prius ſe confirmaturos eum, qui erat creatus dice-

dicebant, quàm id nostris placuisset Imperatoribus. Lucius autem inuitus profectus est. Cum plerique ad Legatos Imperatorum mitterent, defectionis veniam postulantes, & Lucius quidem, quòd amissus esset Præfectus prætorio Furius Victorinus, atque pars exercitus interijsset, redeundum esse censebat. Marcus autem fingere Barbaros existimans, & fugam, & cætera, quæ securitatem bellicam ostenderent, ab hoc, ne tanti apparatus mole premerentur, instandum esse dicebat. Denique transcensis Alpibus longius processerunt, composueruntq; omnia, quæ ad munimen Italiæ, atque Illyrici pertinebant. Placuit autem, vrgente Lucio, vt præmissis ad Senatum litteris, Lucius Romam rediret. Vnà quoque postea iter ingressi sunt: sedens cum fratre in vehiculo, Lucius apoplexia arreptus perijt, & post multa addit: corpus Lucij Romam aduectum, illatumq; maiorum sepulchro; ac inter diuos ipsum Lucium à Senatu esse relatum.

In eius sepulchro ad Adriani molem posito, inscriptio legitur, qua erroris redarguitur ipse Iulius Capitolinus, & Aurelius Victor, qui dixerunt eum imperasse annos vndecim, cum nouem tantum reperiatur in Imperio vixisse, quod eius sepulchri eiusmodi docet elogiũ, his verbis exaratum: Imp. Cæsari L. Aurelio Vero Med. Partic. Pontif. Tribunic. Pot. IX. Imp. V. Cos. III. PP. Quot enim vicibus habetur numerus Tribunitiæ potestatis, tot annis eum vixisse in Imperio dicendum est. Nam (vt ex nummis constat) ea primum cum Imperio semel adepta, annisq; singulis iterata, certum eius Imperij numerum annorum constituit; ex numero igitur Tribunitiæ potestatis certam, & firmam chronographiam annorum, cuiusq; Imperatoris, superius quoque, auctore Dione, notasse meminimus. Quod vt exploratius cuique sit, eiusdem Dionis hic reddam verba, quod maximi ponderis sit; nam de his frequenter ob dubium annorum numerum, cuiusque fermè Imperatoris oportuit meminisse; ait itaque Dion: Gerere quidem Tribunatum plebis, & nefas ducunt Imperatores, cum vtique ipsi Patritij sint; omném verò Tribunitiam potestatem, *Dion. hist. Rom. lib. 53.*

quan-

quanrum vnquam maxima fuit, accipiunt. Et quia quotannis eam cum Tribunis plebis eius anni renouant, annorum Imperij ipſorum, hinc ſumma concipi ſolet. Hæc Dion. Ex quibus tempus exordij Marcomannici belli,& obitus Lucij perſpicuè demonſtratur.

Cæterum M. Aurelius,qui funus Lucij curaturus Romam aduenit, haud paſſus eſt, ſe illicdiutius retineri; ſed inde mox recedens, ſuſceptum Marcomannicum bellum,& proſecutus, eòq; diu detentus fuit; quod quidem Galenus narrat his verbis: Dum Aquileiæ hibernarent, exercitum colligere,& inſtruere decreuiſſent, nuncios ad me miſerunt, quibus vt ad ſe venirem iubebar. Cæterum Lucio media hieme ad ſuperos concedente, vt cadauer Romam retulit, & quæ conſueta ſunt fieri peregit, iter in Germanos ſuſcepit, atque ſe ſubſequerer mandauit. Verum cum bonus, & humanus eſſet,ipſi,ſicut ſcis, perſuadere volui,vt me in Vrbe relinqueret, præſertim cum breui rediturus eſſet; & poſt nonnulla: Præter opinionem igitur cum Imperator diutius bello Germanico detentus fuiſſet, omne id ocium ad ſcribendum contuli. Hæc ipſe: Quod vero Capitolinus poſt Lucij obitum Caſſium rebellaſſe tradit; non id continuo accidit, ſed poſt acceptam de Barbaris victoriam contigiſſe, inferius tradit.

Galen. de Precog. ad poſthum. cap. 9.

Tempore eiuſdem Marcomannici belli,martyrio coronatos Geruaſium & Protaſium, quæ S. Ambroſij nomine conſcripta habẽtur, eorum acta teſtantur. Expetiuiſſe enim Sacerdotes Idolorum ab Aſtaſio Duce,vt ſi vincere Barbaros, & ad Imperatores victor reuerti cuperet, & de dijs benemereri: Geruaſium & Protaſium Chriſtianos ſupplicio afficeret: quod ille impigre faciendum curauit. Scimus tamen alios ad alia tempora eorum referre martyrium.

At quomodo falſo oraculo opera Alexandri impoſtoris, tanquam ab Aeſculapio, qui recenter apparuiſſet prodito, Marcus Imperator illi fidem præſtans, inſigniter deceptus, ipſeq; Romanus exercitus ingenti clade affectus ſit; Lucianus rem geſtam in hunc modum deſcribens: Accipe (inquit)

Lucian. in Pſeud.

quit) iam facinus hominis sceleſtiſſimi, vnum inter omnia multo imprudentiſſimum. Quum iam non mediocrem in regiam aditum ſibi patefeciſſet, inque Aulam Cæſaream, præſertim Rutiliano rem adiuuante, atque approbante: cum bellum, quod in Germania gerebatur, maximè flagraret, Diuo Marco cum Marcomannis & Quadis conſerente oraculum diuulgauit, quo iubebat, vti duos leones viuos in Danubium immitterent, varijs cum odoribus, & ſacris quibuſdam magnificis, ſed præſtat oraculum ipſum referre:

Gurgitibus fluuij turgentes ab imbribus Iſtri
Immiſiſſe duos Cybeles edico miniſtros
Monte feras alitas, tum quantum alit Indicus aer
Florum, atq; herbarum bene olentum, moxq; futura eſt,
Et victoria pax, & amabilis, & decus ingens.

Hæc cum facta eſſent, quemadmodum ille præſcripſerat: leones quidem, ſimulatq; in hoſtium regionem enataſſent, Barbari canes quoſpiam, aut lupos eſſe rati, fuſtibus arcebant. At noſtrorum protinus maxima ſtrages conſecuta eſt, viginti fermè millibus ſimul extinctis. His ſimilia ſunt ea, quæ in Aquileia contigerunt; quum parum abfuerit, quin Vrbs ea caperetur. At is, ad id quod euenerat Delphicam illam reſponſionem, Crœſoq; redditum oraculum frigidè ſanè detorſit: dicens Deum quidem prædixiſſe victoriam; haud tamen explicuiſſe vtrum Romanorum futura eſſet an hoſtium. Hucuſque de oraculo impoſtoris famoſiſſimi Lucianus. Ex his videas Imperatorem dijs fidentem, & Chriſtianos odio proſequentem, in extremum diſcrimen adduxiſſe Romanum exercitum; ſed quod in eo militarent plurimi Chriſtianorum, haud funditus deleri potuiſſe: horum namque præſtantia, ac pietate poſtmodum non ipſe tantum Romanus exercitus diuinitus eſt liberatus, ſed & hoſtes penitus profligati: hæc autem quomodo facta ſint, ſuo loco vberius dicturi ſumus.

Dio Caſſius, de huiuſmodi miraculo loquens ſcribit: poſt periculoſum bellum, magnumque certamen cum Populis Quadis ſuſcepit, de quo quidem bello victoriam præter om- Dio.Caſſ.

nem

nem ſpem eſt conſecutus; vel potius Dei Optimi Maximi benignitate: nam cum Romani præliarentur, & maximo in diſcrimine verſantes, mirificè, diuinèq; cuſtoditi fuere: nam à Quadis in opportunis locis incluſi, ſimul omnes acerrimè pugnabant. Cum verò Barbari certamen protraherent, ſperantes hoſtes morti proximos, eſſe ab æſtu, atque ſiti victos, qui cum eos vndique curam dediſſent, ita incluſerunt (cum ipſi maioris militum copiæ eſſent) vt carerent aqua. Quamobrem Romani in tot tantisq; periculis verſantes, à morbis, vulneribus, Solis ardore, ſitiq; vexati, decertare non poterant, aut alio ſe ſe referre, ſed in acie morantes proprijs in locis ardebant: Cum illicò nubes condenſatæ, atque collectæ in maximam aquarum copiam ceciderunt, non ſine Dei beneficio. Fertur Anuphidem Magũ Aegyptium tunc temporis in acie cum Marco commorãtem, aerium Mercurium inuocaſſe, aliosq; dæmones magica arte, ipſisq; adiuuantibus pluuiam procuraſſet; quæ quidem cum primum cadere incepit, Romani ſurſum inſpicientes, eam ore ſumebant, poſtea clypeos, & galeas ſubmittentes, largè potabant, eorumq; equos refrigerabant. Cum Barbari eos bibere viderent, aduerſus eos impetu petebant, qui etiam decertabant. Plurimi vulnere percuſſi, effuſum in clypeis ſanguinem ſimul cum aqua abſorbebant; & quia plurima pars eorum in bibendo occupata erat, grauiſſimis detrimentis à furenti hoſte fuit affecta. Tunc impetuoſa grando, pluresq; ſagittæ contra hoſtes cadebant. Itaque illico videri poterat, aqua & ignis à cælo cadere: nam nonnulli bene valebant, & potabant, alij ardebant, & omnino peribant; ignis enim nullum Romanis damnum inferebat, & ſi fortè aliquando inter eos miſcebatur, repentè extinguebatur.

Nec pluuia cadens adiuuabat Barbaros, quos inſtar olei comburebat; itaque à pluuia madefacti, quærebant aquam, ac ſe ipſos vulnerabant, vt ignem ſanguine extinguerent. Aliqui ex ipſis ad Romanos transfugebant, ac ſi apud ipſos ſalutifera aqua reperiretur. Marcus miſertus illorum, ob quam rem à militibus Imperator fuit appellatus. Quod

quidem, quamuis recipere non auderet, antequam à Senatu definiretur: tamen non recusauit, ac si à Deo huiusmodi Imperatoris dignitas ei concessa esset; hucusque Dio. haud à syncero calamo hæc conscripta. Ideo Ioannes Xiphilinus in sua epitoma subdit: hæc Dio de Magis Aegyptijs narrat: Sed mihi mentiri videtur (nescio an volens, an nolens, potius censeo volens) cognoscens ipse militum legionem proprio nomine nuncupatam Κεραυνοφόρος, idest fulminatricem, de qua meminit in Cathalogo aliorum militum, non ob aliam causam (veluti verum non erat) quàm ob illam, quæ accidit in bello, nuncupatam esse. Quæ legio Romanorum salutis causa extitit, & Barbarorum excidij: non enim Magus erat Anuphides, cum nullibi scriptum reperiatur, quod Marcus Antoninus societate, & Magorum incantationibus delectaretur. Quod igitur hac in re dico, est, quod cum Marcus militum Melitensium legionem haberet (omnes isti Christum adorant) ad ipsum accessit Prætorum Præfectus videns Imperatorem dubium esse consilij, atque sententiæ, cui assentiretur, & propter exercitum metuebat, cum quo ita eum loquutum esse fertur: Nihil esse, quod precibus impetrare non possent illi, qui Christiani dicuntur; subdens esse legionem huius gentis in exercitu. Quod cognoscens Marcus, maxime incubuit, ipsos suppliciter apud eorum Deum preces effundere: Orarunt fideles, & Dominus non despexit eos, & hostes fulminibus percussit, ac Romanos refecit pluuia. Huius rei maxima affectus admiratione Marcus, edicto Christianos veneratus est, eorumq; legionem Κεραυνοδόλον appellauit; & fertur de omni hac re, esse quandam epistolam Marci: & Gentiles faciunt, vt illa legio fulminatrix vocetur, & planè hoc ipsum testantur. Verum causam non aperiunt, cur tale nomen obtinuerit. Celebrat Tertullianus idem miraculum, S. Apollinaris Episcopus Hieropolitanus, Eusebius Pamphilus, & S. Gregorius Nyssænus in oratione, in laudem quadraginta martyrum.

In Xiphilin. in sua epit.

Dubium nullum est, quin beatissimus Pontifex Anicetus, Romanum exercitum, suis ardentibus precibus comitatus

fuerit, vt Gentiles cognoscerent se inimicos esse illius, aduersus quem in persona suorum seruorum adeo sæuiebant. Itaque ego summa ratione adscribo, & miraculum, & victoriam contra barbaros obtentam meritis, precibus, tandemque effuso sanguini, propter Iesu Christi amorem, suarumque ouium sancti Pastoris. Immo quod hactenus narrauimus, & de sanctis sermonem habituri sumus, qui sub Aniceti Pontificatu floruerunt, in ipsius Pontificis honorem, atque gloriam resultat, non solum quia id, quod ingenuus efficit miles, Duci rationabiliter adscribitur; sed etiam, quia vero consentaneum est, Anicetum eo tempore, vt potè custodem vigilem à Domino constitutum, summa prouidentia inspexisse, ne oues Christi à lupis infernalibus discerperentur, etiam tanquam validissimum Imperatorem, pro salute & victoria suorum militum laborasse. Quàm feruidas preces putabimus, ex sanctissimo pectore, ad solium sanctissimi euolasse pro salute suorum? Quot epistolas, sermones, exhortationes ad fideles, persecutionibus diuexatos emanasse? cuius namque patris tam feruens charitas? cuius ducis tam ingens vis, ad fortitudinem in militum animis imprimendam? Hæc fuerunt Christi militibus arma; quibus freti aduersus hostium impetus constiterunt; quibus alacres effecti, contra immanissimos fidei hostes, gloriosissimos triumphos victoriæ extulerunt. Opportuno sanè tempore talem pastorem, ac ducem Dominus Ecclesiæ prouidit. Si enim vnquam sancta Ecclesia tanto præside indigebat, illud sane tempus erat, cum à toto mundo exagitaretur, infestantibus tot, tantisq; scelestis hominibus, quorum vnus Lucianus, de quo superius meminimus. Hic ferè omnes in suis dialogis (inquit Photius Patriarcha in sua bibliotheca) res Gentilium (velut in scæna) irridet, eorum errores Deorũ fingendo insaniam, effrænatum in luxuria, & impudentia impetum. Addit Suida: In Antiochia ab initio concionator fuit, cum censuerint nonnulli, eum Christianum fuisse; qui cùm alius extiterit, atque expectaretur, ad conscribendi studium se adiunxit, innumerasq; res conscripsit: Fertur

Phot. pat. in sua biblioth.

cum

eum à canibus dilaniatum esse: nam contra veritatem rabiem exercuit; in vita enim Peregrini, Christianam rempublicam improbat scelestissimus, & perfidissimus Lucianus. Quapropter hac in vita, æqua castigatione fuit affectus (vt eius furor exigebat) Atque in futurum ignis æterni hæreditate simul cum diabulo fruetur, digno sane sepulchro illius, qui Ecclesiam persequitur.

CAP. VIII.
Annus sextus Aniceti.



ENTESIMO septuagesimo secundo Christi anno, Seuero Cethego, & Iulio Claro Coss. M. Aurelij Imperatoris anno decimo, Melito Sardensis in Asia Episcopus, pro Christianis sæua persecutione exagitatis, eidem Marco Aurelio Antonino Imperatori Apologeticum obtulit. Quam neruosus fuerit liber ille, & Christiano Episcopo dignus, pauca quidem ex eo accepta, Eusebius recitat, facilè monstrant. Sunt enim hæc: Iam quod nunquam antea accidit, totum genus piorum hominum, qui se diuino cultui addixerũt, persecutione affligitur, & nouis edictis promulgatis, per vniuersam Asiam exagitatur. Nam impudentes, & proterui calumniatores, atque adeo alienarum rerum appetentes, ex his edictis occasionem nacti, palam noctu, atque interdiu furantur, eosque expilant, qui nihil cuiquam omnino intulerunt iniuriæ; & paulo post: Quod si te præcipiente hoc fit (Iustus enim Imperator, & Rex non iniusti quidquam aliquando consilio statuit) sit sanè rectè factum, atque eiusmodi mortis præmium lubenti animo perpetimur. Istam autem vnam tibi supplices petitionem offerimus, vt tu ipse, Auctores talis contentionis, & dissidij despiciendos cures: denique recto iudicio decidas, mortem,

Euseb. hist. lib. 4. cap. 25.

ne ac supplicium, an salutem, & securitatem sint promeriti. Sin verò istud consilium, hocq; nouum decretum tua auctoritate minime sancitum est, (quod planè ne contra crudeles quidem, & barbaros hostes statuere æquum est) multo magis te obsecramus, ne tam aperto latrocinio, nos expoliari permittas. In hoc sexto anno Pontificatus Aniceti, multi celebres scriptores fuerunt, & sanctimonia præditi, qui libros in defensionem Christianæ Reipublicæ contra Hæreticos, atque etiam libros summa sapientia plenos conscripserunt, atque elaborarunt. Primum Melitonis duo de Paschate libri, alius de recta vitæ Christianæ institutione, de Prophetis alius, liber item de Ecclesia, alter de die Dominico: est præterea eiusdem liber de natura hominis, de eius creatione, de obedientia fidei, de sensuum sedibus, istis accedit liber de anima, & corpore; inter quos est etiam liber de lauacro regenerationis, de veritate, de fide, de generatione Christi, liber etiam eiusdem de prophetia, de hospitalitate, Vnus item, qui clauis inscribitur, alius etiam de diabulo; alius de Apocalypsi Ioannis, de Deo incarnato, postremo ad Antoninum scriptus. In libris, quos de Paschate confecit, quo tempore illos scripserit, in ipso illorum exordio, his verbis refert: Cum Seruilius Paulus esset Asiæ Proconsul, quo quidem tempore Sagaris martyrij corona donatus est, controuersia de Paschate; quod quidem festum, fortè eodem temporis articulo, quo oriebatur controuersia incidit, atque illis ipsis diebus, etiam à me ista de festo illo fuere præscripta, & in fine: Idem Auctor præterea in proœmio operis sui, quod breues, & selectas sententias ex scripturis depromptas, continet, librorum veteris testamenti, qui sunt omnium consensu & auctoritate probati, catalogum citat, quem quidem isto loco ad verbum percensere necessarium duximus.

Melito Onesimo fratri S.

Quoniam sæpenumero incredibili studio erga verbum Dei succensus, à me vehementer flagitasti, vt quasdam breues, & selectas sententias, ex lege, & Prophetis, & Saluato-

re,

re, & vniuersa fide nostra excerptas, tibi contexerem; & item librorum veteris testamenti accuratè cognoscendorum cupiditate incitatus, quot numero sint, & quo ordine collocati, magnopere scire expetiuisti, cum studiuum tuum erga fidem, & cognoscendi auiditatem erga verbum Dei pro certo intelligerem: & quod pro æternæ salutis corona strenuè instar athletæ decertans; istas res ob desiderium illud, quo erga Deum exardescis, maxime omnium præferre videare: illud planè cum tale, & tam fructuosum cernerem cumulatè quoad poteram, perficere laboraui. Proinde in Orientem itèr suscipiens, & eò vsque loci proficiscens, vbi hæc & prædicata, & gesta fuerunt: cum accuratè à quibusdam de veteris testamenti libris didicissem, illorum nomina his subscripta ad te misi, quæ sunt hæc: Moysis quinque Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iesus naue, Iudices, Ruth, Regum, seu Regnorum libri quatuor, Paralipomenon duo, Psalmi Dauidis, Salomonis prouerbia, Sapientia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Iob, Prophetarum libri, Isaiæ, Hieremiæ, & duodecim Prophetarum scripta, in vno libro separatim contenta, Daniel, Ezechiel, Esdras, ex quibus breues, & selectas sententias excerpsimus, eas in sex libros dispertiuimus. Tot libri dicuntur esse Melitonis: hæc Eusebius. Sed quod ait de sua profectione ad Orientem, ad locum vbi diuina scriptura prædicatione est vulgata: haud dubium, de Hierosolyma est intelligendum, vbi agens, ex Canone Hebræorum tantum, quos recitat libros recensuit. Cum igitur Melitonis lucubrationes, tum ab Eusebio, tum etiam à S. Hieronymo, adeo exactè sint enumerasæ: planè constat librum illum, de transitu Virginis, Melitonis nomine decoratum, alterius potius esse Auctoris; nec vel Melitonis continere apicem, eruditus quisque perfacilè iudicabit. Sed enim illum recens emersisse, & antiquos omnes latuisse, certum est: ac proinde apocryphum iurè censendum.

Quod vero in libro de Paschate, Melitonem meminisse ait de Sagari martyre, fuisse hunc Laodiceæ Episcopum, ac illu-

Apud Eusеb. lib. 5. cap. 25. illuſtris martyrij obijſſe certamen, teſtatur Polycrates Epiſcopus Epheſiorum, qui & de Melitonis exitu meminit, dicens: Quid attinet dicere de Sagari Epiſcopo, & martyre, qui Laodiceæ mortem appetijt? Quid porro Beatum Papirium, & Melitonem eunuchum recenſeam, qui Spiritus ſancti inſtinctu afflatus, totum vitæ ſuæ tempus, piè, ſanctèq; exegit, qui Sardis tumulo conditus eſt, expectans Chriſti è cælo ad vniuerſam carnem viſitandam aduentum, ex quo ex mortuis reſurget? Iſti omnes diem Paſchatis decimoquarto die lunæ ex Euangelij præſcripto obſeruarunt, &c. Huius Hier. de ſcrip. eccl. (inquit Hieronymus) elegans, & declamatorium ingenium laudans Tertullianus, in ſeptem libris, quos ſcripſit aduerſus Eccleſiam, pro Montano, dicit eum à pleriſque noſtrorum Prophetam putari; ſed de his ſuperius vbi toleratam eam de Paſchate celebrando ſententiam, tunc fuiſſe, duximus. Quamobrem Sagaris, & aliorum nomina publica atteſtatione, ſunt in Eccleſiaſticis tabulis meritò recenſita, certusque ſingulis tributus dies, quo anniuerſaria eorum memoria celebretur.

At non Melitonem ſolum, ſed & Apollinarem Hieropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum, fama conſpicuum, ſcripſiſſe librum ſuis temporibus, pro fidei Chriſtianę defenſione, idem Euſeb. lib. 4 cap 26. teſtatur Euſebius, qui & cæterorum eius ſcriptorum his verbis ſeriem texuit: Ex multis Apollinaris ſcriptis, quæ apud multos integra ſeruantur iſta ſunt, quæ ad nos peruenerunt, liber ad Imperatorem, de quo antea diximus, ſcriptus: quinque libri contra Gentiles, de veritate duo, contra Iudæos duo; & alij, quos deinceps ſcripſit, contra Cataphrygarum hæreſim, quæ id quidem temporis (quandoquidem iam tum Mtanóus, cum ſuis pſeudoprophetis, peruerſæ ſuæ opinionis fundamenta iaciebat) tanquam noſci cœpit: atque etiam non longo tempore poſt, de integro renouata, multo ſcripſit longius. Hæc de Apollinari Euſebius. Alios item complures tunc claruiſſe in Eccleſia viros ſanctitate, & doctrina egregiè excultos teſtatur, inquiens: Philippus porro, quem Dionyſij teſtimonijs, Eccleſiæ Gortynenſis Epiſcopum

pum fuisse cognouimus, longè accuratissimum opus contra Marcionem contexuit: idem ab Irenæo factitatum est. Modestus quoque egregiè præter cæteros, viri illius errorem conspicatus, omnium oculis subiecit, ad contemplandum. Alij item complures Scriptores extiterunt, quorum lucubrationes, adhuc in permultorum fratrum manibus integræ custodiuntur. Inter alios verò est de Musano, apud eundem memoria nobilis, cum ait: Musani autem, quem inter eos, qui supra demonstrati sunt, numeramus: extat quidem liber elegantissimus, ab eo scriptus aduersus quosdam fratres, qui videbantur inclinare ad hæresim eorum, qui Encratitæ dicuntur. Meminit horum omnium S. Hieronymus. Recenset quoque inter hos Eusebius Pinytum Episcopum Cretensem, de quo idem Hieronymus ait: Pinytus Cretensis Gnosiæ Vrbis Episcopus, scripsit ad Dionysium Corinthiorum Episcopum valde elegantem epistolam, in qua docet, non semper lacte populos nutriendos, ne quasi paruuli ab vltimo occupentur die, sed quasi solido vesci debere cibo, vt in spiritualem proficiant senectutem: Sunt & alij, qui his temporibus claruerunt Catholici scriptores ecclesiastici, de quibus aliàs opportunius. Vides ex his, & planè intueris diuinam erga Ecclesiam prouidētiam, quæ scilicet perditissimis hisce temporibus, quibus dictæ hæreses inualescebant, quæ ex diuersis scholis Philosophorum prodierant, eruditissimos, omniq; disciplinarum genere excultissimos dederit viros, qui non eorum modo procaciam infringerent, petulantiam reprimerent, omnesque conatus frustrarentur; sed, & eruditissimis Commentarijs Gentilium etiam in Christianos, vt impiorum oblatrantium impetum retunderent, atque audaciam coercerent.

Hier. de scrip. eccl. in Pinyto.

Iustinus Philosophus, & gloriosissimus martyr, ab omnibus alijs magus nuncupatus, Romæ moram faciebat philosophans, ait: Photius verbis, vita & habitu, nulla dubitatio in vllum cadere debet, quin tantus vir, assidua consuetudine vteretur, cum Aniceto consultans, ac decernens id, quod magis expediebat Ecclesiæ. Iste magnus Philosophus

innume-

innumeros libros edidit, in quibus modo reprehendit Gentiles, tanquam leues in credendo tot, tantisque falsis Deis; modò ostendit Christianos veri cælestis numinis, veros cultores esse;& modo disputans aduersus aliquos,solum nomine philosophos. Demum Iustinus, ob suam altam sapientiam ab omnibus, permagni æstimabatur; atque omnes in admirationem adducebat. Quapropter fides Catholica non mediocre augmentum suscipiebat, & cum Christi Domini rerum summo amore, ac desiderio exardesceret, habuit quendam aduersarium, nomine Crescentem, qui & in vita, & in religione ei aduersabatur; nam sanctum accusauit, fecitque, vt martyrij palma coronaretur, laborum & sudorum ob Christi amorem effusorum veri præmij. Quod ipsemet veluti futuri præsagus ita innuit: Atque ego igitur expecto quempiam dictorum insidias mihi moliri, ac in ligno clauis affigi: ò Crescens simulate, & superbe Philosophe, cum haud dignus sit retinere nomen Philosophi is, qui publicè Christianos, tanquam impios, & scelestos lacerat, cum ei, quales sint non innotescant; sed solum propter multorum deceptorum obsequium, ac satisfactionem id efficiens: nam, vel Christi Domini doctrinam non callens, nobis aduersus est; & ita pessimus est, rudiumque ignorantiumque hominum peior, qui loqui, ac falso testari cauent ea, quæ illos latent, vel vidit, & magnitudinem,quæ in ipsa continetur, haud capere potuit, vel cum capere posset, ne se Christianum esse in suspicionem veniret, hæc agit,atque ita est abiectissimus, pessimus, ac rudi, irrationabiliq; opinioni, & timori subiacet. Placuit diuinæ prouidentiæ tot, tantosque illustres viros excitare ad hoc, vt illius turbulentissimæ ætatis erroribus obijcerent, & aduersarentur.

CAP.

CAP. IX.

Annus ſeptimus Aniceti.



NNO Chriſti Domini noſtri centeſimo ſeptuageſimotertio, Seuero, & Herenniano Coss. Marci Aurelij Imperatoris anno vndecimo, pſeudoprophetia, quæ iuxta Phrygas nominatur, accepit exordium, Auctoribus Montano, Priſcilla, & Maximilla inſanis Vatibus: hæc Euſebius. Verum Epiphanius aduerſus eoſdem agens, hæc ait: Hi fuerunt circa annum 19. Antonini Pij, poſt Adrianum. Rurſum autem ſcribit Apollinaris, qui eodem quo Montanus vixit tempore, ſub Grato Aſiæ Proconſule, Montanum ad fidem veniſſe, ac mox cœpiſſe ſe efferre ſuperbia. Mentio de Grato Conſule apud Caſſiodorum habetur, anno quarto Antonini Pij Imperatoris, quem ſi velimus, more maiorum, poſt Conſulatum Proconſulatum Aſiæ accepiſſe, ad ea tempora eius ſunt primordia referenda; at poſſumus, hanc ſententiā eiuſdem Euſebij, de Apollinare hæc ſcribentis, ſimul conciliare: Scripſit, inquit, contra Cataphrigarum hæreſim, quæ id quidem temporis (quandoquidem iam tum Montanus cum ſuis pſeudopropheтiſſis peruerſæ ſuæ opinionis fundamenta iaciebat) tanquam naſci cœpit, atque etiam non longo tempore poſt, de integro renouata, multo ſcripſit longius. Duo igitur tempora, imo & tria Montani, ac ſociorum conſideranda putamus. Primum, cum ijdem in Eccleſia prophetare cœperunt, & in admiratione ſunt habiti, ſed nondum detecti Hæretici, quippe qui ouinis pellibus lupos induentes, vitam optimis compoſitam moribus, abſtinentiam præſertim excultam, extrinſecus præſeferrent. Inſuperq; & miraculorum ſibi virtutem arrogantes, nec dum quidquam catholicis dogmatibus contrarium loquentes. Iam toti Orbi facti conſpicui, & in admiratione habiti, ab omnibus pro-

Euſeb. in Chron.
Epiphan. hæreſi 48.
Apud Euſeb. lib. 5. cap. 15.

pemodum præconijs tolli, & laudibus prædicari cœperunt.

Secundum verò tempus fuit, cum res in controuersiam deduci cœpit, primis Marci Aurelij Antonini temporibus, cum in Gallijs ingens persecutio vigeret: quæ duo tempora Eusebius simul oratione coniungens ait: Cum Montanus, & Alcibiades, & Theodotus in Phrigia, iam prophetandi opinionem, apud complures adepti fuissent, permulta enim diuina gratia largiente, miracula, & opera stupenda ad illud vsque tempus per varias Ecclesias edita, fidē multis faciebant, illos etiam donum prophetiæ fuisse consecutos. Cumque de istis hominibus controuersia orta esset, fratres rursus, qui in Gallia habitabant, priuatum iudicium, idque prudens & rectum, cum primis de ijsdem epistola, quam diximus, subiūnxerunt: hæc de illis cum scribat Eusebius, planè significare videtur, eos aliquando recta ambulasse, & diuina gratia illustratos, signa & miracula edidisse; sed ea de re aduersas, his fuisse postmodum nonnullorum sententias sanctorum virorum.

Idem lib. 5. cap. 3.

Tertium verò tempus illud fuit, cum ijdem iam palam facti, quales essent, ab Ecclesia Catholica penitus eiecti sunt, quod quidem non fuit parui negotij opus; tantam enim sibi apud plurimos æstimationem, & gloriam compauerant, vt nec iam detecti, exciderint ab opinione multorum: immo, & qui de eis aliquando recta sensissent, atque damnassent, postea fraude pellecti, eorundem facti fuerint acerrimi defensores, vt Tertullianus planè infelix, qui in calce lucubratissimi operis, quod aduersus hæreticos conscripsit, de præscriptione, secundum Phrygas, hæreses notat, atque condemnat; post verò ijsdem omnibus, intensis neruis patrocinatus est. Magna certè Montani fraus, tentatio in Ecclesia fuit, cum non hic, vel ille inanis homo, & facilis ad credendum, ab eiuscemodi composita larua deceptus sit, sed, & qui magna præditi videbantur sanctitate, atque doctrina. Enituit tunc temporis, quæ de Sede Petri impolluta seruanda viguit, semper vigilans diuina prouidentia: nam cum illi, totis viribus nisi essent, primariæ Ec-

Tertull. de præscr. cap. 52.

clesiæ

clesiæ communicationem suffurari, quò sic ab vniuersa Catholica Ecclesia viderentur esse recepti, atque probati. Dum res apud Romanum Pontificem ageretur, idemq; de impertienda illis communicatione, litteras dedisset, continuò reuocauit, cum adueniens Praxeas, Catholicæ Religionis tunc homo multa de illis, quæ hactenus præterijssent, ipsum Romanum Pontificem idem significasset, inculcassetq; testatur id quidem Tertullianus, cum ait: Nam idem Praxeas tunc Episcopum Romanum agnoscentem iam prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ; & ex ea agnitione, pacem Ecclesijs Asiæ, & Phrigiæ inferentem, falsa de ipsis Prophetis, & Ecclesijs eorum adseuerando, & Prædecessorum eius auctoritatem defendendo, coegit, & litteras pacis reuocare iam missas, & à proposito recipiendorum charismatum concessare. Hæc Tertullian. quem licet velimus, non mentitum esse (periculosum enim alioqui est hæreticis, de suis dogmatibus, quæcumque dicentibus fidem prestare) quid magnum est falsis assertionibus, surreptam pacificis scriptis litteris communicationem, dare Romanum Pontificem. Accidit id quidem aliàs sæpe; & inter alia plura exempla illud est perspicuum, quod in præsentiarum menti occurrit: Eustathius Sebastenus hęreticus, Romam veniens cum suis, ad Liberium Papam, fidei Catholicę sinceram professionem edens, dolosè communionem surripuit, rediensq; gloriosè de Romanæ Ecclesiæ communione se extulit; sed reclamantibus Orientalibus, & qualis adhuc esset Eustathius declarantibus, rursum sic cognitus, ab Ecclesia pulsus est, atque damnatus, vt suo loco dicemus, qui nouit nunquam à Romano Pontifice, atque etiam aliis consueuisse litteras communicatorias dari, quas & pacificas dicimus, absque fidei Catholicæ præmissa prius confessione; nec rursum illam profitentibus, ac eas petentibus, litteras potuisse negari. Haud profectò mirabitur, Papam per litteras impertitum fuisse pacem Ecclesijs Phrigiæ, atque Asiæ, quarum fidem Catholicam, edita ex more rectæ fidei professione, iam exploratam habuisset: Hoc est namque, quod ait Tertullia-

Tertull. aduers. Prax. c. 1.

Socrat. lib. 4. c. 11

nus, ipſum Romanum Pontificem agnoſcentem prophetias Montani & ſociorum, ex ea (quod addit) agnitione pacem Eccleſijs Aſiæ, & Phrigiæ, per litteras conceſſiſſe, perinde ac ſi diceret, cognita ab eis edita fide Catholica, nec ab ea illorum prophetias diſſentire cognoſcens, (haud dubium eas, quæ in illis erant hæreſes, occuluiſſe) ad dictas Eccleſias litteras pacificas dedit. Nam quid eſt per Praxeam alijs ſignificatis reuocaſſe, quas dederat, pacificas litteras, niſi prodita illorum hæreſi, eos auerſatum fuiſſe? vt appareat in omnibus viguiſſe ſimul, eiuſdem Romani Pontificis ſinceritatem, ac pariter poteſtatem.

Sic igitur tribus his temporibus conſideratis, nulli ſanè crimini dari potuit, ſi ipſo initio, vel medio tempore, cum primum illorum prophetiæ, iunctæ miraculis veris, vel apparentibus ederentur; vel cum poſtea de ijs dubitatione exorta, diuerſæ eſſent diuerſorum ſententiæ, quis ijſdem communicaſſet; ſed tantummodo crimen erat, cum patefacta, atque à Catholica Eccleſia improbata ipſorum hæreſi, id ſciens quis, prudensq; feciſſet; fuiſſe namque ſemper à temporibus Apoſtolorum, ac perſeueraſſe impoſterum ſpiritum prophetiæ, abſque controuerſia apud omnes eſt, de quo & Iuſtinus martyr hæc ait: Apud nos enim hucuſque, prophetica extant dona. Vnde, & vos intelligere debetis, quæ olim in genere noſtro, (de Iudæis intelligit) fuere, ea eſſe in nos tranſlata. At quemadmodum apud vos ſanctorum Prophetarum tempore, etiam pſeudoprophetæ erant; ita, & apud nos permulti ſunt falſi doctores, quos cauendos eſſe Dominus noſter præmonuit. Et poſt multa: eſt (inquit) apud nos videre, & fœminas, & maſculos dona à ſpiritu Dei habentes. Equidem ex veteri quoque prophetia iure ſibi ſancta Eccleſia, nouas vindicat prophetias, Ioelis nempe oraculo dicente: Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ; idque ſibi per Chriſtum conceſſum eſt, diuino ſpiritu, ex menſura fidei, quod ait Apoſtolus, his & alijs chariſmata ſingula diuidente.

In lib. in dialog. cũ Tryphon.

Ioel. 2.

Rom. 12.

Cæte-

Cæterum, quod ſpectat ad Montanum, & ſocios eius, perfacilè fuit ab eis decipi, quippe qui in omnibus ſpeciem pietatis præſeferebant: nam vt docent Philaſtrius, Epiphanius, Theodoretus & alij, ſcripturas omnes, tam veteris, quàm noui teſtamenti recipiebant de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, paria cum Eccleſia ſentiebant, dona Spiritus eſſe pariter in Eccleſia, ac fidelibus etiam impertita affirmabant; diſciplinam inſuper eccleſiaſticam ſe arctiſſimè ſeruare profitebantur, ieiunia, martyria, & cuncta alia, quæcunque in pretio eſſent in Eccleſia Catholica, excolere diligentiſſime curabant; Nec id quidem verbis dumtaxat, ſed re ipſa præſtare videbantur. Magna itaque hæc omnia apud vnumquemque, durioris licet ingenij hominem, vim habuiſſe quis dubitet? *Philaſtr. de hæreſ. cap. 5. Epiph. de hæreſ. 48. Theodor. hæret. fab. lib. 3.*

Cæterum quis hæc accuratè conſiderans, non afficiatur magna animi admiratione, atque ſtupore, perſpiciens diaboli callidam artem, atque in decipiendo verſutiam, nouo ſemper certamine, quominus ſuarum technæ inſidiarum proditæ, euitentur Dei Eccleſiam oppugnantis? Ecce tibi qui non ita pridem, nempe hoc ipſo ſæculo, Gnoſticorum, & aliorum, quos retulimus turpitudines, commentus erat, vt ignominiam irrogaret Eccleſiæ, eamque penitus labefactaret: Iam detectus, & vnà cum ſuis ſectarijs, omni execratione dignus habitus, atque proſcriptus, immutans ſpeciem, omnesq; exuens prioris habitus impuritates, ſordes, at turpitudines, ſuperinducta ſummæ, atque admirandæ ſanctitudinis compoſita larua, progreditur, nonniſi ieiunia, continentiam, & martyria prædicans, oſtentansq; in ſuis prophetiæ ſpiritum, & ſumma illa à Chriſto olim promiſſa fidelibus chariſmatum dona, multaq; alia ſuperaddens, quæ ad ſectam eſſe poſſent illecebræ, maximo omnium fuit Eccleſiæ detrimento.

Quod verò ad Montanum ipſum attinet, S. Hieronymus ad Marullam ſcribens, in primis eum abſciſſum, & ſemiuirum appellat, ac proinde eunuchum fuiſſe declarat; qui nuper baptizatus, propriæq; excellentiæ gloria elatus, ma- *Hier. ep. 54*

lo

lo arreptus ſpiritu, prophetam profiteri cœpit, magnamque inde ſibi exiſtimationem comparauit, nactus ad eam rem duas, quas ſeduxit nobiles fœminas, Priſcam videlicet, quam nonnulli Priſcillam nominant, & Maximillam, eaſdemque eodem afflatas ſpiritu, docuit prophetare, quarum ope innumeros penè ſeduxit: nam Hieronymus ſcribens contra Pelagianos ad Chreſiphontem de ijs, hæc ait: Montanus immundi ſpiritus prædicator, multas Eccleſias per Priſcam, & Maximillam, nobiles & opulentas mulieres, primum auro corrupit, deinde hæreſi polluit; hæc ipſe: At quod ad rerum ab eo geſtarum hiſtoriam pertinet, à nullo fidelius, atque certius, quàm ab eius temporis homine, qui aduerſus eum cominus decertauit, aſſequi licet: Is fuit nobilis eruditione, atque virtutibus præſtans, Apollinaris Hieropolitanus Epiſcopus, qui ab ipſo rerum exordio, narrationem inſtituens, ad Anicium Marcellum ſcribens, in hunc modum præfertur: Quamquam longo, iam & prolixo temporis ſpatio, Anici Marcelle chariſſime, à te, vt aliquid contra Cataphrygarum hæreſim ſcriberem, incitatus ſum, tamen hactenus me ab illo inſtituto continui, non tam, quod dubitarem falſa eorum commenta, me poſſe conuincere, & firmis teſtimonijs, ac veritate corroborare, quàm quòd tum metuerem, tum ſedulò præcauerem, ne Euangelico noui teſtamenti verbo, cui neque apponere, neque detrahere quidquam licet, & præſertim, qui ſecundum Euangelium vitam degere inſtituerit, quibuſdam viderer meo quaſi marte, aliquid vel addere, vel ſtatuere, quod non in eo omnino comprehenſum ſit.

Apud Euſeb. lib. 5. cap. 15.

En quanta modeſtia, animiq; demiſſione antiqui Patres, quantumlibet erudítiſsimi, atque ſanctiſsimi, ad diuinas ſcripturas tractandas, etiamſi ex eis oppugnaturi forent hæreticos, ſe conferebant: ſed proſequitur deinde inchoatam de Montano narrationem, ſic dicens: Verum cum nuper eſſem Ancyræ Galatiæ Vrbe, & Eccleſiam, quæ eſt in Ponto contentionum procellis ab iſta, noua & inuſitata, non (vt illi dicunt) prophetia; ſed potius (vt demonſtrabitur)

pſeudo-

pſeudoprophetia concitatis, iactatam offenderem; quantum poteram, iuuante Deo, de his ipſis eorum erroribus, qui iam paſſim vagantur, & de ijs, quæ ab illis proponebantur, multis diebus in Eccleſia aſſiduè diſceptabam, adeo vt ea non ſolum permagna efferreretur lætitia, ſed ad veritatem vehementer roboraretur; & qui contrarias partes tuebantur, eodem temporis momēto, à me refutati, animos deijcerent, & omnes veritatis aduerſarij ſummo dolore angerentur. At cum Presbyteri, qui in eo loco erant, præſente Zotico Otreno poſtularent, vt de ijs, quæ fuiſſent contra veritatis aduerſarios, eo ſermone diſputata commentarium aliquem relinqueremus; iſtud quidem minimè ibi præſtitimus, ſed conſtanter illis ſumus polliciti, Domino nobis gratiam largiente, nos illum ſcriptis hoc loco mandaturos, & abſque cunctatione ad eos miſſuros. Iſta, aliaq; deinceps verba in exordio libri præfatus, & in ſermone progreſſus paululum auctorem erroris, de quo locuti ſumus, hoc modo commemorat, & paulò poſt.

Pagus eſſe dicitur in Myſia Phrigiæ, qui nuncupatur Ardabam: ibi ferunt quendam nomine Montanum, qui nuper ad fidem venerat, Grato tum Proconſule Aſiæ; primum inſatiabili quadam animi cupiditate, in Primatu ambiendo incenſum, ſimulatq; aditum diabolo aduerſario, ad ſe patefecerat, ſpiritu quodam maligno abripi, & de repente furore, & mentis inſania exagitatum, bacchari, atque mox non temerè ſolum garrire, ſed peregrinas quaſdam voces fundere, & contra quam Eccleſiæ conſuetudo cum traditione, tum ſucceſsione antiquitus ab Apoſtolorum temporibus, eò vſque deriuata, poſtulabat, prophetare ſcilicet cœpiſſe ex illis, qui eo temporis articulo adumbratas eas, & adulterinas voces auditione acceperant, nonnulli contra illum tanquam inſano ſpiritu præditum dæmonio agitatum, falſi erroris, quaſi vento pulſum, & hominum denique multitudinem magnopere conturbantem, acriter increpabant; & Domini tum diſtinctiones, qua ſpirittus innoteſcerent, tum minarum, quibus perterrefacti vigilanter

ter, pseudoprophetarum aduentum præcauerant, recordati, ne ita deinceps garriret prohibuerunt; alij autem dominicæ distinctionis penitus obliti, de eo, velut Spiritu sancto, & dono prophetiæ imbuto, se se gloriosè extulerunt, atque insolenter intumuerunt; à quo decepti, inque fraudem adducti, spiritum illum vesanum fallaciter blandientem, & populum in errorem astutè inducentem, vehementer sollicitarunt, vt se à loquendo non amplius prohiberi permitteret.

Diabolns igitur cum arte quadam, immo eiusmodi falsæ, & fraudolentæ astutiæ præstigijs, perniciem contra istos, qui ita se Deo opposuissent, machinatus esset, ab eisdem contra, atque meruerat, magno honore affectus, illorum mentem à fide, quæ est secundum veritatem, lapsam, errorisq; somno consopitam excitauit, incenditque, vt duas meretrices in illud ipsum scelus impellerent, spirituq; complerent adulterino, quo non aliter quàm Montanus quem diximus furiosè, ineptè, ac nouo & peregrino modo garrirent, vsque adeo, vt spiritus ille veteratorius, eos, qui tum in eo se oblectarent, tum effusè gloriarentur, interdum beare, & promissionum magnitudine admodum inflatos reddere videretur; interdum coniecturis, & rationibus probabilibus nixus, apertè eorum peccata coram redargueret, vt putaretur etiam corrector vitiorũ, quamquam pauci ex Phrygibus erant, qui eius erroris tenebris inuoluebantur: præfractus tamen, & arrogans spiritus, ad Catholicam, & vniuersam sub cœlo Ecclesiam contumelijs onerandam, eos propterea perdocuit, quod idem ille pseudopropheticus eius spiritus, neque aditum ad illam sibi patentem habere, neque honorem in illa acquirere potuerat. Nam vbi fideles, qui Asiam incolebant, sæpenumero, & multis in locis eiusdem in vnum conuenerant, & doctrinam recens inductam explorarent, & eam prophanam, ac detestabilem ostenderant, & errorem ipsum improbarent. Sic tandem isti, tum ab Ecclesia extrusi, tum à communione penitus depulsi fuerunt. Hæc Apollinaris. Reliqua verò, quæ ab eodem

scripta

ſcripta ſunt de fide ipſorum, inferius ſuo loco dicemus.

Quæ autem ab Apollonio egregio eiuſdem ſæculi ſcriptore, de iiſdem ſint memoria commendata, hic intexere operæpretium exiſtimamus. Ait enim: Atqui quis ſit hic recens & nouitius doctor, facta illius & doctrina ſatis declarant. Iſte eſt, qui nuptiarum diuortia perdocet, qui nouas ieiunij leges ſancit, qui Pepuzam, & Thymium (iſtæ enim ſunt paruæ Ciuitates Phrygiæ) cupiens omnes, vndique eo conuocare, Hieruſalem nuncupat: qui pecuniarum exactores conſtituit, qui oblationum nomine, munera accipienda prætexit; qui denique ſui verbi Prædicatoribus, vt eiuſdem verbi doctrina, ſordido ventris abdomine, & ingluuie roboretur, ſalaria ſuppeditabat. Hæc de Montano; de cuius Prophetiſſis ſermone aliquanto longius producto, ſic ſcribit.

Apud Euseb. lib 5. cap. 17.

Intelligendum eſt iſtas primas Montani prophetiſſas, vt primum ſpiritu illo repletæ erant, maritos deſeruiſſe. Quàm falsò igitur mentiti hi, qui Priſcam virginem appellabant? Deinde ſubiungit: At non vniuerſa ſcriptura videtur Prophetam vetare, ne munera, & pecuniam accipiat? Quando ego igitur fortè video prophetiſſam, aurum, argentum, & veſtes pretioſas cupidè accipientem, quid eſt cur illam non prophetiſſarum numero excludam? Iterum ſermone longius prouecto, de quodam illorum, quos confeſſores nominabant, hæc diſſerit: Themiſon etiam totus reuera auaritiæ ſordibus inuolutus, qui non toleranter Crucem afflictionis (quæ eſt viri confeſſoris nota) geſtabat, ſed pecuniarum multitudine, ſe è vinculis eripiebat, cum oportuiſſet illum ob iſtud peccatum humili, ſubmiſſoq; animo ſe geſſiſſe: martyrem, & teſtem Chriſti ſe eſſe gloriatus, audebat Apoſtolum imitãdo, Catholicam ad omnes Eccleſias epiſtolam contexere; ac tum illos, qui planè multò melius credebant, quàm ille fide, & religione inſtruere, tum ſuæ doctrinæ confirmare ineptias, tum denique in Dominum in Apoſtolos, & in ſanctam Eccleſiam conuicia petulanter iacere. De alio item eorum, quos tanquam Martyres apud ſe

Eod. cap. 17.

 hono-

honore, & obseruantia decorabant, sic tradit.

Vt non de pluribus verba faciamus, dicat nobis ipsa prophetissa de Alexandri facinoribus, qui se martyrem prædicat, & quem ipsa conuiuio excipit familiariter, quem etiam alij complures adorant: cuius latrocinia, & alia flagitiorum genera, pro quibus debitas pœnas persoluerit, nihil nostra interest commemorare, præsertim cum in ipsas tabulas publicas satis accuratè relata sint. Igitur quisnam istorum alterius condonabit peccata? Prophetissanè martyrij latrocinia, an martyr prophetissæ auaritiam? Cum enim Dominus dixerit: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas: isti omnia contra in rerum vetitarum possessione, magnopere deliquerunt. Nam illos, qui ab istis prophetæ, & martyres dicuntur, non à diuitibus solum, sed à pauperibus etiam, ab orphanis, & viduis pecunias exegisse perspicuè ostendemus. Quod si in hac re sibi confidant, prodeant in medium; & de his nobiscum vnà disceptent, vt si fortè conuincantur, desinant de cætero peccare; oportet enim fructus Prophetæ exactè explorare, nam arbor à fructu ritè internoscitur.

Vt verò Alexandri flagitia, cuique ea cognoscere cupienti dilucidè aperiantur, hoc pacto ostendemus. Ephesi ab Aemilio Frontino Proconsule, non propter nomen Christi, sed propter latrocinia (erat enim maleficus), quæ turpiter admiserat, in iudicio condemnatus est. Verum postea, cum se ob nomen Christi, persecutionem passum fuisse apud fideles, quos callidè hac astutia deludebat, falsò prætexuisset: illis Proconsulem rogantibus pro eo, dimissus est. Attamen propria, ac sua, vnde erat Ecclesia, eum, quia latro erat, recipere nolebat. Cæterum, qui plura de rebus gestis illius, cuius vitæ rationem, hæc Prophetissa, licet cum illa multis iam annis commoratus sit, ignorare præsefert, penitus agnoscere cupiant, Asiæ tabulas publicas habent, vnde discant: Istius igitur mores depingendo, in ijsdem tanquam in tabula propriam etiam, & veram Prophetissæ effigiem scitè depinximus, similem etiam inscitiam in multis

eorum

eorum possumus declarare. Quod si sibi, suisque ingenijs præfidant, veniant quæso in quæstionem, iudiciumque subeant.

Alio etiam loco eiusdem libri, de Prophetis, de quibus se ita iactant, ista adnectit: Si inficias eant, ipsorum prophetas munera accepisse, hoc pro confesso statuant, si se munera accepisse manifestò conuincantur, non omnino esse Prophetas. De quibus rebus infinita penè, eaq; certissima argumenta proferemus, quin omnes Prophetæ fructus examinare necesse est. Dic mihi: Prophetanè comam coloribus tingit? Prophetanè oculos stibio oblinit? Prophetanè sumptuosè, & vestitu splendido ornatus incedit? Prophetanè tabulis, & tesseris ludit? Prophetanè fœnus exercet? Ista verò mihi fateantur, & dicant vtrum liceat vsurpare, an cõtra? Ego certè, hęc apud illos factitata perfacilè ostendam. Idem iste Apollonius, in eodem libro commemorat, quod quadragesimus iam annus, in quo quidem ad hoc opus scribendum se contulit, agebatur, ex quo Montanus illam confictam, & commentitiam prophetiam inceperit; atque rursum dicit: Zoticum, cuius superiùs scriptis meminerat, cum Pepuzam aduentasset, ibi iam Maximilla, prophetare se simulante, insanum in illa spiritum coarguere conatum esse. Verum ab illis, qui Maximillæ partibus fauebant, ab instituto prohibitum. Porro Thraseæ cuiusdam ex numero Martyrum, qui tum erat, meminit. Hæc ex Apollonio Eusebius, qui nobilis inter scriptores Ecclesiasticos aduersus Cataphrygas, ad eorum auctores confutandos, librum separatum conscripsit.

Qui verò decimoquarto anno à morte Maximillæ, alterius ex prophetissis Montani, aduersus eosdem commentarium scripsit Miltiades, hæc in eodem habet, quæ ex multis, idem Eusebius recitat his verbis: Hic pseudopropheta Montanus, quem impudentia & audacia sequuntur, vt comites, cum esset furore correptus, ex inscitia quadam voluntaria, ordiens in insaniam animi non voluntariam, sicuti ante diximus, præceps tandem dilabebatur. At verò

Eusèb lib. 5. cap. 16.

neque quemquam veteris testamenti Prophetam, neque quemquam noui ostendere potuerunt, qui insano spiritu in hunc modum fuerint aliquando exagitati. Neque de Agabo, neque de Iuda, neque de Sila, neque de Philippi filiabus, neque de Ammia Philadelphica, neque de Quadrato, neque de alijs quibusuis. Præterea, quod de insano ipsorum more vlla ex parte aliquando prophetauerint, omnino gloriari potuerunt. Rursum ista memorat paulò post: Quod si post Quadratum, & Ammiam ex Philadelphia, mulieres illæ Montani, sicut prædicarent: In prophetiæ vnius, proximè succedebant, proferant etiam eos, qui post Montani, & mulierum illarum mortem (nam donum prophetiæ in Catholica Ecclesia ad postremum vsque Christi aduentum debere versari, affirmat Apostolus) In idem munus successerint. Verum decem & quatuor annis, qui iam à Maximillæ morte hactenus intercesserunt, ne vnum quidem Prophetam commonstrare poterunt. Hactenus ex Miltiade Eusebius, qui subdit ab eodem auctore, editum quoque librum fuisse contra Gentiles, & alium contra Iudæos: Apologiam quoque pro Christiana religione ad illius temporis Imperatores scripsisse tradit. Quæ cum omnia magno detrimento deperijsse noscantur, fragmentum saltem ex eo ab Eusebio recitatum, tanquam Perillustre antiqui Theologi monumentum, vt eius quoque, sicut aliorum memoria viuat in chartis nostris, hìc volumus recitasse.

De ipsorum verò pseudoprophetarum damnatione, ab Episcopis Asiæ, & alijs facta; hæc Serapion eiusdem quoque sæculi clarus inter Scriptores Ecclesiasticos, in epistola ad Coricum, & Ponticum habet: Vt verò istud intelligatis, omnem in Christo fraternitatem, quæ per vniuersum orbem terrarum diffusa est, ab hac noua, & peregrina prophetia, tam falsis præstigijs instituta reaptè abhorrere, litteras Claudij Apollinaris beatissimi, qui Hieropoli, Asiæ Ciuitati Episcopus præfuit, ad vos misi: In hac Serapionis epistola, extant diuersorum Episcoporum subscriptiones, quorum vnus sic ferè subscribit: Aurelius Cyrenius testis

Apud Eusеb. lib. 5. cap. 18.

Chri-

Christi, vobis salutem, & prosperam valitudinem opto. Alter isto modo: Aelius Publius Iulius ex Debelto Coloniæ Thraciæ Episcopus; viuit Deus in cælis, quod Soras in Anchialo voluit Priscillæ Dæmonem eijcere, sed veteratores illi hypocritæ, neutiquam permiserunt. Sunt etiam in ijsdem litteris permultorum aliorum Episcoporum subscriptiones, sua ipsorum manu exaratæ, qui eidem sententiæ suffragati sunt.

At non in Asia solùm, sed & in Græcia hoc sæculo, pleraque acta fuisse Concilia, in quibus dignoscendis ijsdem habitum fuisse tractatum putamus; nam Tertullianus ait: Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis Concilia ex vniuersis Ecclesijs, per quæ, & altiora quædam in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur. Ex Apostolorum namque traditione, eiusmodi dimanauit in Ecclesiam consuetudo, vt contentionibus de fide exortis, vel cum alia perdifficilia tractanda essent, Ecclesiarum Episcopi in condictum omnes locum conuenirent: ad quidpiam de eisdem definire, haud fuisse liberum absque Romano Pontifice, (neque enim soliti erant) vel si quid definissent, illius auctoritate probari, solemne semper in Ecclesia fuit, vt innumera propemodum declarant exempla, suis quibusq; locis ponendo. Ad hæc spectat, quod cum Asiæ Episcopi de celebrando Paschate, Luna decimaquarta agerent: Polycarpus Romam ad Anicetum (vt dictum est) ad eius, ea de re explorandam sententiam venit, qui inolitæ Asianæ Ecclesiæ consuetudini noluit refragari. Festinasse itaque, ea item ex causa Montanum, atque falsa relatione subripuisse litteras pacificas à Romano Pontifice diximus.

Sed iam quis fuerit Montani, & Prophetissarum exitus à Claudio Apollinare Hierapolitano Episcopo audiamus. In secundo libro inquit Eusebius, ista de morte illorum, quos supra prosequuti sumus, commemorat: Quin nos ideo Prophetarum interfectores appellarunt, quod garrulos in primis, & loquaces illorum Prophetas, minimè admiserimus *Euseb. lib. 5 cap. 15.*

mus

mus (hos enim prædicant esse, quos Dominus pollicebatur, se populo missurum) nobis iam quæso respondeant : & quis amabo, ò optimi illorum, qui Montani, & mulierum illarum disciplina eruditi, garrire cœperunt, qui vel à Iudæis sit persecutionem perpessus, vel à nefarijs, & facinorosis gentibus neci traditis; nemo certè, neque quisquam illorum præhensus, aliquando pro Christi nomine Cruci affixus est; neque in Iudæorum Synagogis, mulier vlla inter eos aliquando flagris cæsa, aut lapidibus vsquam obruta: & quod ad Montanum ipsum, & Maximillam spectat, illi alio quodam, & longè diuerso mortis genere occubuisse dicuntur: nam istos ferunt, spiritus vesani & perditi impulsu commotos, sibi laqueo mortem consciuisse, non tamen simul credo, & eodem momento (ipso temporis puncto, quo alteruter obierit, multus sermo de illis inter homines versabantur) sed ita occubuisse, vt diximus, & eundem cum Iuda proditore, vitæ exitum adeptos, constans est fama. Est etiam pari ratione de admirabili illo Theodoto, qui primus illius commentitiæ Prophetiæ, quasi procurationem susceperat, valde creber sermo, quo modo è mentis potestate deturbatus, fraudulento spiritui se ipsum concrediderit, à quo sublimem aliquando in aerem sublatum, ac de repente præcipitem deiectum, miserè ac perditè interijsse ferunt. At illi: Rumor est, inquiunt, istud ita gestum esse. Nos nè, ò Beate, nos nè eiusmodi quicquam pro certo nos scire censebimus, cum oculis ipsi minime conspeximus? Montanus nanque, Theodotus, & mulier illa, quæ supra commemorata est, fortasse sic, fortasse secus, mortem oppetiuerunt.

Rursus eodem in libro dicit: Sanctos, & pios Episcopos id temporis conatos esse, Maximillæ spiritum redarguere, reprimereque; sed ab alijs, qui videlicet spiritui illi patrocinio esse studebant, impeditos esse; sic enim scribit: Ne amplius loquar Maximillæ spiritus, sicut Asterius Vrbanus in libro suo, illam loquentem inducit: Omnium insectatione vrgeor, & tanquam lupus ab ouibus repellor: non sum

lupus:

lupus: verbum equidem sum, spiritus, & virtus; sed virtutem quæso in spiritu, euidenter declaret, ostendatque. Atque adeo Zoticum ex vico, qui dicitur Comana, in Iulianum ex Apamæa, cum viros probatos, tum Episcopos, qui id temporis ad eam explorandam, & cum ipso garriente spiritu disserendum aduentauerant, quorum ora Themisson cum suis opturabant, neque vllo modo patiebantur mendacem illum, & subdolum spiritum ab illis redargui, refellique, cogat fateri, si poterit, illum ipsius spiritum verum,& ingenuum esse. In eodem libro,iterum paucis verbis interpositis, quæ ad Commentitias illas Maximillæ prophetias conuincendas accommodantur, tum tempus, quo ista ipse scripsit,ostendit, tum Vaticiniorum illius meminit, quibus ante augurabatur bella, & seditiones futuras, quarum commenta isto modo redarguit: Qui fieri potest, vt istud illius mendacium, iam non satis omnibus exploratum sit; nam ex eo tempore, quo illa mulier abijt è vita in hunc vsque diem, plures quàm tredecim anni intercesserunt; & neque bellum in aliqua regione separatim, neque passim in toto orbe terrarum gestum, hactenus accepimus: quin Christianis,etiam Dei misericordia largiente, pax secura & stabilis permansit. Hæc cum scribat Apollinaris ab obitu Maximillæ, tresdecim annos, & vltra Romanum Imperium, omni ex parte bello vacasse; satis potest intelligi ipsam defunctam esse vltimo M. Aurelij tempore; & Apollinarem scripsisse vltimo tempore Commodi Imperatoris: nam anni tresdecim illius Imperij pacifici, absque bello transierunt: antea verò, & postea, vel externum, vel ciuile bellum viguit, vt dicemus suis quibusque locis. Sed rursus ex Apollinari Eusebius.

Ex tertio libro item pauca quædam proferam, quibus Montani æmulos, qui iuani ostentatione complures ex suis Martyres fuisse iactauit, impugnat in hunc modum: cum iam omnia illorum argumenta, quæ supra posuimus, sint penitus confutata, & nihil habeant, quod dicant amplius, ad Martyres confugiunt; seque affirmant, complures habe-

re

re Martyres: atque hoc certum argumentum esse virtutis, & potentiæ, quæ est in prophetico illo spiritu abdita. Cæterum istud, vt videtur, omnino à veritate alienissimum est. Etenim non pauci, aliarum hæreseon propugnatores, permultos venditant se habere Martyres: non tamen propterea cum illis consentiemus, neque illos veritatem penes se retinere fatebimur. Qui primi ex Marcionis hæresi, Marcionistæ vocati sunt, permultis se Christi Martyribus abundare prædicant, sed tamen Christum ipsum (vti Veritas postulat) minime profitentur. Non multo post hæc subdit: Simulatque viri, verè Ecclesiastici, & Catholici, persecutionis temporibus, ad testimonium fidei, quæ est ex veritate, vnà cum quibusdam Cataphrygarũ hæresi obcæcatis, quos illi hæretici pro martyribus habebant, essent fortè vocati, ab illis planè dissenserunt plurimum: & ne cum Vesano, ac dementi Montani, & mulierum sibi in societatem oscitarum spiritu, vlla ex parte consentire viderentur, cum illis communicare, ad extremum vsque spiritum prorsus recusarunt. Atque hoc verum esse, & nostris temporibus Apameæ, quæ iuxta Mæandrum sita est gestum. Gaius, & Alexander Eumeniæ prognati, qui tunc martyrium subibant, satis perspicuè declararunt. Hucusque ex Apollinari Eusebius. Quod autem ad Montani dogmata pertinet, quæ ab alijs de his dicta sunt, recensebimus. Aiunt ergo, illum primum eius, & maximum fuisse errorem, à quo vt è fonte fluxerunt cæteri, quòd diceret se esse Paraclitum illum Spiritum Veritatis, quem Pater pollicitus erat se daturũ Apostolis: Eo etiam nomine, eum sæpe citat Tertullianus: ac proinde ipsum negasse Apostolos accepisse Spiritum paraclitum. Rursum, quod spectat ad doctrinam fidei de sanctissima Trinitate docuisse Montanistas, quæ postea Sabellius prædicauit, testatur S. Hieronymus, cum ad Marcellam scribens: Primum, inquit, in fidei regula discrepamus: Nos Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in sua vnumquemque persona ponimus, licet substantiam copulemus: illi (namque asseclæ Montani) Sabellij dogma sectantes,

Tertull. de fug. in persec. c. 1

S. Hier. ep. 54.

ctantes Trinitatem, in vnius personæ angustias cogunt; Inde quoque potuit accidisse, vt qui se Paracletum diceret, idem quoque se esse DEVM Patrem, impudentissimè affirmaret; vt ait his verbis Epiphanius: Insuper apponit idem Montanus, sic dicens: Ego Dominus Deus omnipotens conuersans in homine. Ac subdit: Montanus autem seipsum solum glorificat, & dicit esse Patrem omnipotentem, & in homine inhabitare: vt vndequaque ostendatur, quòd non ipse sit ab illo missus, neque qui ab illo accepit; & paulò post: Deinde rursus, inquit miserrimus homuncio Montanus: neque Angelus, neque Legatus, sed ego Dominus Deus Pater veni. Hæc autem cum dicat, deprehenditur alienus esse, vt qui Christum non glorificet; nam de Spiritu Paracleto dictum ab eo fuerat: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Hæc cum dicant de Montano Epiphanius, atque Hieronymus, falsum esse oportet, quod idem Epiphanius, necnon ante ipsum Philastrius, Theodoretus, & alij dixerunt, Montanum de Patre, Filio, & Spiritu sancto eadem sensisse, quæ Ecclesia Catholica. Verum hæc omnia arbitror iactata potius à Montanistis, quàm à Montano: nam Tertullianus, qui eum nominat Paracletum, & omnia ab eo dicta, eidem Paracleto fert accepta: ac subinde eadem, vt diuinitus tradita, pro viribus propugnare non destitit, nihil huiusmodi de Trinitate eum sensisse demonstrat. Rursum verò, si tam horrendas palàm blasphemias Montanus effutisset, quorsum de eo dubitare, Prophetanè, an pseudopropheta fuerit, opus erat? quid tam diu de eo altercatum, atque consultatum? in re enim tam patente, nulla prorsus opus erat consultatione; nam ipso primo auditu blasphemiæ, eam cuiuscunque, licet impij aures, exhorruissent.

Epiphan. heres. 48.

Hæc vt existimem, adducor, quòd nullus antiquorum scriptorum, qui eodem sæculo cum illo vixerunt, & aduersus eum scripserunt, hæc obijciat: Cum multa in eum inferant, & quæ longè minora his erant (vt vidimus) magnopere exaggerent. Nec tam immania, quæ ante omnia obijcienda, ac refellenda fuissent; putandum eos obuoluta si-

lentio reliquisse, si re vera ab ipso dicta fuissent. Et quod de Sabellianismo Montanistarum tradit Hieronymus, nequaquam sensisse Montanum, nec Montanistas quidem omnes, sed ex eis aliquos affirmat Theodoretus, nempe ex illis, quos Tertullianus vocat Aeschinem; nec item credimus, licet dixisset se esse Paracletum, vt Theodoretus affirmat, atque Tertullianus, qui hoc nomine eum appellat, significare voluisse, Paracletum humanam assumpsisse carnem, & illum ipsum se esse Montanum, vel absque carne se spiritum tantum, & negasse se esse hominem; nam nullus planè est, qui id aliquando dixerit de Montano, dum, vel & aduersans ab eo, proditas impugnat hæreses, vel eas pugnaciter, vt Tertullianus defendit. Quamobrem sic existimamus ipsum à Tertulliano, vel alijs dictum esse Paracletum, quod se illum diceret accepisse Spiritum Paracletum, quem Christus pollicitus fuerat à Patre mittendum: ipsumque se maiori plenitudine, quàm fecissent Apostoli alijs impertiri, quod illum maiori abundantia, quàm Apostoli accepisset, quippe qui diceret illos (vt de se quoque testatur Paulus, cum ait: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus) nondum, quod perfectum erat accepisse, sed in se, ac suos plenitudinem illam Spiritus, immo ipsum Paracletum descendisse: ac proinde (quod de ipso Spiritu à Christo dictum erat: Ipse docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia) se suosq; plenissimam rerum scientiam assecutos esse. Ea quippe ratione secundas nuptias, quod non reijcit Apostolus, ipse tanquam maiori scientia præditus, vt fornicationem damnauit. Insuper, quod nec ipse Christus, nec Apostolus admisisset, nuptiarum docuit solutionem. Ad hæc etiam ieiunia quædam noua, & penitus inusitata, in Ecclesiam conatus est introducere, de quibus Hieronymus ad Marcellam: Nos, inquit, vnam quadragesimam, secundum traditionem Apostolorum, toto anni tempore, nobis congruo ieiunamus: illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Saluatores; non quod diceret Montanus, se tertio quadragesimale ieiunium repetere,

Theod. hæret. fab. lib. 3. *Tertull. de præscr. cap. 52.* *1. Cor. 13.* *Hier. ep. 54.*

petere,

petere, quòd tres paſſi re vera eſſent Saluatores: Cum vna tantum ea ratione in Eccleſia, ex traditione Apoſtolorum, poſt Chriſti paſſionem, ſit ſolita celebrari, ſed aliam ab hac diuerſam, prætexebat ieiuniorum cauſam Montanus, quam refert Tertullianus, cum ait: Spiritus ſanctus, cum in quibus vellet terris, & per quos vellet, prædicaret, ex prouidentia imminentium, ſiue eccleſiaſticarum tentationum, ſiue mundalium plagarum, quà Paracletus, ideſt aduocatus ad exorandum Iudicem, huiuſmodi officiorum remedia mandabat. Puta nunc ad exercendam ſobrietatis, & abſtinentiæ diſciplinam, hunc qui recipimus, neceſſario etiam, quæ tunc conſtituit, obſeruamus. Hæc ipſe: Sed quam falſus vates extiterit, pax Eccleſiæ, quæ ſecuta tunc eſt (vt ex Apollinare didicimus) perſpicuè declaramus. *Tertull. aduerſ. Phyſich. cap. 11.*

At ſubdit Hieronymus: non ob id Eccleſiam non amare ieiunia, quod reſpuat illa Montani; nam ait: Non quòd, & per totum annum, excepta Pentecoſte, ieiunare non liceat, ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre. Hæc cum dicat Hieronymus, planè ſignificat Montanum, tanquam totius Eccleſiæ Præſulem, lege ſancita, ad hæc ſua ſeruanda ieiunia, vniuerſam voluiſſe Eccleſiã obligare, quod non obſcurè declarat Tertullianus, cum ſæpiſſimè in Catholicos inuehatur, quòd à Paracleto tradita ieiunia non ſeruarent. Ex ijs apparet quàm calumnioſè agant, qui ſanctos Monachos, alioſq; regulares damnant, quos & ſeruantes plura in anno ieiunia, ac quadrageſimas, Montanizare dicunt, & non niſi à Montani ſpiritu afflatis, iactant eas de ieiunijs leges eſſe ſtatutas; nam hi, non vt Montanus eiuſmodi leges vniuerſæ præſcripſerit Eccleſiæ, vt ob id, qui eas non ſeruarent, eſſe damnatos dicerent; ſed eas tantum, qui arctiori vinculo diſciplinæ ſua ſponte ſe voto ad ea, & alia ſeruanda obligaſſent, teneri voluerunt: nec eos ſemper, ſed cum idoneæ vires ſuppeterent. Quod verò ad Eccleſiam eius temporis ſpectat (vt paucis Tertulliano iſthæc in Catholicos inclamante, ſatisfaciamus) conſultò quidem, atque prudenter ea penitus Catholici reiecerunt:

primo quidem, quòd si ob aliquam imminentem cladem, erant indicenda ieiunia, hoc non Montani erat, sed Episcoporum munus: id enim consuetudine iam in Ecclesia receptum fuisse, idem ipse testatur, cum ait: Bene autem, quod Episcopi vniuersæ plebi mandare ieiunia assolent, non dico de industria stipium conferendarum, vt vestræ capturæ est, sed interdum, ex aliqua sollicitudinis Ecclesiasticæ causa. Præterea, si quæ à Montano statuta essent ieiunia, Ecclesia recepisset, Spiritum illius comprobasse penitus visa esset. At quantumlibet existimasset, ipsum diuino afflatum spiritu illa loquutum: adhuc tamen, quod sciret, quæ à Deo sunt, secundum Apostolum, ordinata esse: non erat illius partium illa edicere, adijcereq; ea seruandi necessitatem.

Tertull. aduers. Physic. cap. 13.

Sed ad cætera recensenda Montani dogmata, redeamus. Idem alibi addit Hieronymus, dixisse Montanum: Prophetas in extasi esse loquutos, adeo vt nec ipsi scirent quid dicerent: Præter alia complura mendacia, atque deceptiones Pseudoparacletus Montani, illud superaddidit, vt assereret, nequaquam martyrij tempore fugiendum; sed loco sistendum, & martyrium expectandum: immo nec quauis occasione id redimere licere: quæ ex eiusdem Paracleti auctoritate pluribus Tertullianus, scripto de ea re commẽtario, disputauit: cum tamen ex Apollonio superius sit recitatum, ex eiusdem Mõtani secta virum, eorum opinione celebrem, ingenti collata pecunia, se ne subiret martyrium, redemisse: & in hoc quidem subdolum Diaboli planè fuisse consilium declaratur; nimirum, quòd cerneret nihil profecisse per Gnosticos, & alios quos diximus, negasse subeundum esse pro Christo martyrium, cum nihilominus fides quotidie magnæ constantiæ, in perferendis pro Christo tormentis specimen ederent: mox contrariam huic struens aciem, Christianos sua sponte ad martyrium properantes, quodam veluti impulsu, in præceps eos agi contendit: eo nempe consilio, vt omni seclusa fuga, & intercepto euadendi remedio, omnes se neci dederent; sicque insimul omnes absumerentur, atque Ecclesia Christi omnino deficeret.

Hier. cõ. in epist. ad Ephes. lib. 2. cap. 3.

Tertull. de fug. in persec.

Apud Eusebium lib. 5. cap. 17.

Præter

Præter hæc etiam: Animam eſſe corpoream, & anthropomorphitam, quandam ex Montani prophetiſſis docuiſſe. Tertullianus, qui omnes eſt illorum errores ſectatus, declarat his verbis: Eſt hodie ſoror apud nos reuelationum chariſmata ſortita, quas in Eccleſia inter dominica ſollemnia per extaſin in ſpiritu patitur, conuerſatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino; & videt, & audit ſacramenta, & quorundam corda dignoſcit, & medicinas deſiderantibus ſubmittit. Iam verò, prout ſcripturæ leguntur, aut pſalmi canuntur, aut ad loquutiones proferuntur, aut petitiones delegantur: ita inde materiæ viſionibus ſubminiſtrantur. Fortè neſcio quid de anima diſſerueramus, cum ea ſoror in ſpiritu eſſet. Poſt tranſacta ſollemnia dimiſſa plebe, quo vſu ſolet nobis renunciare, quæ viderit (nam & diligentiſſime digeruntur, vt etiam probentur) inter cætera, inquit: oſtenſa eſt mihi anima corporaliter, & ſpiritus videbatur, ſed non inanis, & vacuæ qualitatis, immo quæ etiam teneri repromitteret, tenera, & lucida, & aerij coloris, & forma per omnia humana. Hæc eſt viſio. Deus teſtis, & Apoſtolus, chariſmatum in Eccleſia futurorum id oneris ſponſor. Hucuſque infelix Tertullianus, qui licèt eruditiſſimus, ac prudentiſſimus videretur, hiſce tamen muliercularum commentis traduci, atque ſeduci paſſus eſt. Hæc autem, & alia plura didicit in ſchola Montani, quæ ab erudito viro, ac pio Pamelio habes adnotata in Paradoxis Tertulliani, in vnum collectis.

Tertull. de Anim. cap. 9.

Rurſum hæc de Montaniſtis S. Hieronymus: Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent: apud eos, Epiſcopus tertius eſt. Habent enim primos de Papuza Phrygiæ Patriarchas, ſecundos, quos appellant, Canones, atque ita inter tertium, ideſt penè vltimum locum Epiſcopi deuoluuntur, quaſi exinde ambitioſior religio fiat, ſi quod apud nos primum eſt, apud illos nouiſſimum ſit. Illi ad omne penè delictum, Eccleſiæ obſerant fores; & ſubdit: Rigida autem ſunt, non quo & ipſi peiora non peccent, ſed hoc inter nos, & illos intereſt, quod illi erubeſcunt, confiteri

Hier. ep. 54.

pecca-

peccata, quasi Iusti. Nos dum pœnitentiam agimus, facilius veniam promeremur. Prætermitto scelerata mysteria, quæ dicuntur de lactante puero, & de Siecturo martyre confarrata. Malo, inquam, non credere sit falsum, omne, quod sanguinis est. Hæc de sanguine Hieronymus: sed quod innuit solum Epiphanius, his explicat verbis: In hac verò hæresi, aut in cognata eius Quintilianorum, seu Priscillianorum, & Peputianorum appellata, horrendum, ac nefarium facinus fieri dicunt. Puerum quendam valdè infantem, in festiuitate quadam per totum corpus æreis aciculis compungentes, & sanguinem ipsius sibi ipsis comparant, ad apparatum videlicet sacrificij. Hæc Epiphanius, qui tamen hæc de puero tribuit Quintillianis, ex Montano prognatis. Hæc eadem de eorum mysterijs, Paschatis festo fieri solitis, tradunt Philastrius etiam, & Augustinus: verum Theodoretus hæc ait: De mysterijs autem nonnulla quidam iactitant, sed illi non fatentur; & sui accusationem calumniam appellant. Certè quidem hæc à Montano facta esse non credimus: nullus enim antiquorum in eum eiusmodi scelus intulisse certum est. At hæc ipsa his temporibus à Gnosticis perpetrari solita diximus, dum de eorum origine superius sermonem habuimus. Num verò, qui à Montano prouenerunt hæretici, talia factitarint, vt in diuinis mysterijs imitati sunt Gnosticos, aliorum sit iudicium: laborasse quidem eos hac diu infamia certum est: licet tamen quæ de his scribuntur, diuersæ sint ab ijs, quæ de Gnosticis dicta sunt; ait enim S. Augustinus: post sanguinem è puncturis infantis emunctum, si ille ex eo mortuus fuerit, apud illos celebrari pro martyre; si autem vixerit, pro magno Sacerdote.

Epiph. hæres. 48.

Philastr. de hæres. cap. 50.

Aug. de hæres. cap. 24.

Theod. hæret. fabul. lib. 3.

Aug. d. hæres. c. 50.

Addit Philastrius eosdem Cataphrygas cõsueuisse mortuos baptizare. Hieronymus hæc de ipsorum dogmatibus: Aperta est conuincenda blasphemia, dicentium: Deum primum se in veteri testamento voluisse per Moysen saluare mundum: sed quia non potuerit explere, corpus sumpsisse de Virgine, & in Christo sub specie filij prædicante, mor-

Philast. de hæres. c. 50.

Hier. ep. 14.

tem

tem obijsse pro nobis: & quia per duo gradus mundum saluare nequiuerit, ad extremum per Spiritum sanctum in Montanum, Priscam, & Maximillam insanas fœminas descendisse, quem Paulus non habuerit,& cætera: ac demum. Hæc sunt (inquit) quæ coargutione non indigent: perfidiam eorum exposuisse,superasse est: digna planè tanto Doctore sententia: nam sicut est in Geometricis assertionibus: Rectum est mensura sui, & obliqui; ita computatione non indiget, quod collatione recti,cunctis recte intrantibus,esse demonstratur obliquum, ac proinde certum, exploratumq; reddi,quod ait: perfidiam hæreticorum exposuisse superasse est. Qua ratione & nobis satis hæreses recensuisse, cum hoc ipsum sit confutasse.

Cæterum, quod spectat ad Montanistas: non ipsa tantum insania dogmatum redarguit eos mendaces, & impostores, sed ex suis ipsorum falsis editis vaticinijs, quæ ex contrario euentu vana prorsus sunt reddita; se esse pseudoprophetas certo certius ostenderunt: nam præter illa, quæ superius dicta sunt, hæc addit Epiphanius de falso Maximillæ vaticinio: Dicit enim Maximilla, ab ipsis appellata prophetissa: Post me prophetissa non amplius erit, sed consummatio. Ecce quomodo vndique apparet spiritus erroris. Quæcunque enim Prophetæ dixerunt, & cum intelligentia consequenter loquuti sunt; & perfecta sunt, quæ ab ipsis dicta sunt, & adhuc implentur. Hæc verò dixit: Post ipsam esse consumationem, & nondum consumata sunt, maximè cum tot Reges postea fuerunt, & tantum tempus transierit. Anni enim sunt ab eo tempore plus ducenti nonaginta vsque ad nostrum tempus duodecim anni Valentiniani Valentis,& Gratiani Regni,& nondum est consummatio,iuxta illam, quæ seipsam nominauit prophetissam, cum ne diem quidem obitus sui nouerit. Hæc Epiphanius. *Epiph hæres.48.*

Quod verò omnibus hæreticis commune est (eo quod non sit solum filiæ Chaldeorum stabilitatem nescire, nec in propositi firmitate consistere, sed inconstantia nutare, & in deterius prolabi, idem, & ipsis euenisse conspicitur,ipso *Isai.47.*

nimi-

nimirum sectæ Montani exordio, sectarios eius inter se dissidio separari, ac quemque ex suo nomine sectam conficere: nam Tertullianus cum sanioris mentis esset, scribens eruditum illum commentarium, de præscriptione aduersus hæreticos: in fine, cum de hæresi secundum Phrygas agit, hæc habet: Accesserunt alij hæretici, qui dicuntur secundum Phrygas; sed horum non vna doctrina est: Sunt enim, qui Cataproclum dicuntur: sunt qui secundum Aeschinem pronunciantur. Hi habent aliam communem blasphemiam, aliam blasphemiam non communem, sed peculiarem, & suam: & communem quidem illam, quòd in Apostolis quidem dicant Spiritum sanctum fuisse, Paracletum non fuisse: & qui dicant Paracletum plura in Montano dixisse, quàm Christum in Euangelium protulisse, nec tantum plura, sed meliora atque maiora. Priuatam autem blasphemiam illi, qui sunt Kata Aeschinem, hanc habent, qua adijciunt etiam hoc, vt dicant: Christum esse Filium, & Patrem. Hucusque Tertullianus de Catholicis dogmatibus, in eam diem sanè optime meritus: quando autem mente motus insano delirio cœperit agitari, suo loco opportunius dicturi sumus: tunc enim, quem hic hæresis signiferum nominat Proclum, mirificè laudauit, & inter nobilissimos Scriptores Ecclesiasticos adnumerans, hæc ait: Non solum nostri antecessores, sed ipsorum hæresiarcarum contemporales instructissimis voluminibus, & prodiderunt, & retuderunt, vt Iustinus Philosophus & martyr, vt Miltiades Ecclesiarum Sophista, vt Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator, vt Proculus (idem est, quod Proclus) virginis nostræ senectæ, & Christianæ eloquentiæ dignitas, & cætera; quem enim sui compos incusat hæresiarcam, postea in transuersum actus, adnumerat inter summos oppugnatores hæresiarcarum. Aduersus hunc Proclum egregiam conscriptam fuisse disputationem à Caio, nobili inter illius ætatis Theologos, tradunt Eusebius, atque S. Hieronymus. Cæterum cum eloquentiæ nomine Proclus à Tertulliano laudetur, non leuis est apud me coniectura, hunc

Tertull. de præscr. cap. 52.

Tertull. aduers. Valentinian. cap. 52.

Euseb. lib. 3 cap. 25. Hier. de scrip. eccl. in Caio.

hunc illum fuisse Proclum Siciensem ex Africa, insignem Grammaticum, quo inter alios Latinos, vsum esse magistro M. Aurelium Imperatorem, ac eum vsque ad Proconsularem dignitatem prouexisse, auctor est Capitolinus. Sed & his temporibus vixit alius Proclus Lycius, Plutarchi auditor, Platonicus Philosophus. Cum verò commentarios ab eo scriptos recenset Suidas, post alios enumeratos, hæc ait: Scripsit argumenta contra Christianos decem & octo. Hic est Proclus ille, qui alter à Porphyrio, impuram & contumeliosam contra Christianos linguam exacuit, sed Ioannes Philoponus præclarissimè, decem & octo eius propositiones refutauit; eumque Græcis etiam, quibus efferebatur, rudem atque indoctum esse ostendit. Hæc Suidas; Sed ad Montani hæresim redeamus. *Iul. Cap. in Alar.*

Rursum verò constat eandem hæresim, alia diuersa atque deformia peperisse portenta, quæ suos fœtus alijs nominibus appellarunt; de quibus hæc Epiphanius: Quod verò nihil relinquamus ex ijs, quæ ad nomen pertinet vniuscuiusque sectæ à nobis præiudicatæ, etiam de Trascodugitarum nominis appellatione, rursus dicemus. Est enim hoc nomen, aut in hac ipsa (nempe Cataphrygarum) aut in sequenti Quintillianorum appellata; ab ipsis enim, & hoc nomen proficiscitur. Vocantur autem Trascodugitæ, ob hanc causam. Trascut enim apud ipsos pertica appellatur. Drusas verò nasus, siue rostrum; & ab eo, quod imponunt digitum suum, indicem appellatum, in nasum dum orant, tristitiæ nimirum, & vltroneæ iustitiæ gratia, ab aliquibus Trasco dugitæ appellati sunt, hoc est Perticonasati, &c. quod enim nasus esset iudicij signum, & digitus Hieroglyphicum dimensionis (vt est apud Orum Apollinem) digito nasum tangere, idem significare videbatur, quod recto iudicio cuncta metiri, ac iudicare. *Epiph. hæres. 48.*

Addit insuper Epiphanius, alios, qui ex Montano descenderunt, dictos esse Quintillianos, à Quintilla, Peputianos à Vico in Phrygia dictos, & Priscillianos à Priscilla pseudoprophetissa Montani. Harum alteram finxisse Christum ad

se venisse in mulieris forma,& sapientiam sibi communicasse. Idem tradit,cum de his agit,subditque:in Ecclesiam ingredientes, secum ferre incensas lampades, septemq; virgines secum ducere, quæ populo vaticinarentur; itemque Episcopos, ac Presbyteros apud eos esse fœminas. Adhuc insuper alios Montanistas ait fuisse Atotyritos,sic dictos,eo quod in mysterijs suis apponerent panem & caseum, & sic mysteria sua facerent: ex his etiam prognatos esse Tesseredecatitas, quos dicimus quartadecimanos: idem affirmat sic dictos, quod quartadecima luna celebrandum esse Pascha contenderent; sed horum puto aliam esse rationem, de quibus inferius dicturi sumus.

Epiph. heres. 49. & 50.

Occupasse hos hæreticos vsque ad tempora Epiphanij Phrygiam, Cappadociam, atque Galatiam; viguisseque plurimum in Cilicia, atque Constantinopoli ipse testatur. S. Hieronymus hæc ipsa, & alia his cognata monstra; suo tempore in Galatia extitisse, tradit his verbis: Scit mecum, qui vidit Ancyram Galatiæ Ciuitatem, quod nunc vsque schismaticis dilacerata sit, quod dogmatum varietatibus constuprata. Omitto Cataphrygas, Ophitas, Barboritas, Manichæos; nota enim hæc humanæ calamitatis vocabula sunt. Quis vnquam Pattalorinchitas, & Trascodrogas (sic legendum puto pro Ascrodobos) Artotyritas,& cætera magis portenta, quàm nomina, id aliqua parte Romani orbis audiuit? De ijsdem etiam in Imperatorum rescriptis habetur mentio; sed de Pattalorinchitis hæc S. Augustinus: Pattalorinchitæ (sic enim eos nominat) in tantum silentio student, vt naribus & labijs suis digitum apponant, ne vel ipsam taciturnitatem voce præripiant, quod tacendum sibi esse arbitrantur; vnde etiam illis nomen inditum πάτταλος enim Græce dicitur palus, & ῥύγχος nasus. Cur autem per palum, digitum significare maluerint, à quibus hoc nomen compositum est, nescio, cum Græce dicatur digitus δάκτυλος, & possint vtique Dactilorinchitæ multo euidẽtius nuncupari. Hæc Augustinus ex Philastrio,vt apparet. Puto autem (quod nuper dictum est) digitum, quod dimensionis

Apud eundem heres. 48.

Hier. in praef. lib. 2. in ep. ad Galat.

Philast. de heres. c. 77.

hiero-

hieroglyphicum esset, per palum significatum esse. Addit Philastrius conatos huiusmodi hæreticos imitari Prophetam dicentem: Pone Domine custodiam ori meo;& ostium circumstantiæ labijs meis. Additur & quia ieiunijs Beati Prophetæ vacantes, silentium sæpius commendabant, vnde vsurpantes isti æstimant obseruandam Pithagoricam vanitatem, potius quàm Prophetarum cælestem vitam, & sapientiam sequi properantes. Agit idem de Ascodrogitis, qui Montani Paracleto plenos se esse iactantes, insanis motibus, instar baccantium, furentes agebantur. Sed de Montani, & ex eo orta sobole satis: Aduersus Montanum autem, ac suas Prophetissas, ipso principio constat scripsisse, quos diximus Claudium, Apollinarem, Miltiadem, Apollonium, & Caium, celebrem illorum temporum scriptorem, aduersus Proclum Montani primogenitum, commentarium edidisse, post alios Theodoretus affirmat.

Psal. 140.
Idem cap. 76.
Theod. hæret. fabul. lib. 3.

CAP. X.
Annus octauus Aniceti.



SEQVITVR Annus Domini centesimus septuagesimus quartus, Maximo & Orphito Coss. duodecimo M. Aurelij Imperij anno, quo (inquit Eusebius) Tatianus hæreticus agnoscitur, à quo Encratitæ. Ex his, & alijs superius de eo narratis, corrigendus est textus Epiphanij, quo dicitur post obitum Iustini, sub Antonino Pio, Tatianum ab Vrbe recessisse; emendanda quoque est Philastrij lectio, quæ dicitur post Decij tempora vixisse. Hic quidem natione Syrus ex Philosopho Platonico Christianus (vt dictum est) viuente S. Iustino Philosopho, quem in fide habuit Catechistam, florentissimus in Ecclesia fuit; Romæque viuens, docuit, ac scripsit pro Christianis, aduersus gentes egregium

Epiph. hæres. 46.
Philastr. cap. 49.

volumen,cum adhuc sibi constaret : quomodo autem infelix in errores sit lapsus,factusq; sit hæresis auctor, Irenæum eodem cum illo viuentem tempore, audiamus,qui ait: Ipsum cum esset Iustini auditor, quamdiu ille vixit, nec latum vnguem aberrasse, sed eximiæ pietatis specimen edidisse; illo autem per martyrium sublato de medio,cum profiteretur se aliorum magistrum, elatus in Valentini dogma dilapsus, ab illo errores didicit, & Marcionis, & Saturnini amplexatus continentiam, detestatus est nuptias: de Adam illud edicens, ipsum minus consequutum esse salutem. Eadem de eo habet Tertull. illi æqualis. Tantæ is fuit æstimationis, vt venerit ad eum Romæ profitentem audiendum Rhodon ab Oriente, de quo hæc Eusebius, postquam ab eo elaboratas lucubrationes recensuit: Idem Rhodon in eodem libro (illum autem Callistioni dedicabat) se Romæ à Tatiano, & doctrina, & litteris institutum asserit. Ait verò à Tatiano elaboratum librum quendam quæstionum, quibus cum Tatianus polliceretur, se sacras litteras inuolutas, & obscuras demonstraturum: Idem Rhodon contra se easdem quæstiones in libro separato perspicuè soluturum promittit. Hucusque Eusebius.

Tertull. de præscript. cap. 52.
Euseb. lib. 5. cap. 13.

Porrò quamdiu Romę fuit,veritus fortasse multos oculos se inspicientes, ipsiusq; Romanæ Ecclesiæ, quam Apostoli instituissent, sincerissimam puritatem, stetisse in fide, nec quicquam docuisse, quod Catholicæ fidei aduersaretur; sed cum in Orientem profectus est, ipsum à recto fidei tramite deuiasse, & alios in errorem induxisse,Epiphanius testatur, cum ait: Cum Roma post mortem S. Iustini, digressus ad Orientis partes, & illic conuersatus, in malam opinionem incidit, & sæcula quædam, & fabulas Valentini, & Principatus quosdam, ac emissiones etiam ipse introduxit; maximam verò prædicationi suæ partem in Antiochiam ad Daphen sitam fecit, & in Cilicum partibus; multum autem in Pisidia valuit. Ab hoc enim per successionem, qui Encratitæ, idest continentes appellantur, venenum transumpserunt. Et paulo post, eius relegens impia dogmata, hæc

Epiph hæres. 46.

ait:

ait: hic quidem asserit, non saluari Adam ipsum; continentiam verò hic prædicat, nuptias autem scortationem & corruptionem putat, asserens nihil differre matrimonium à scortatione, sed idem esse. Vnde in prætextu continentiæ, & continentium morum, nequitiosam vitam duxit, velut lupus rapax, ouilla pelle indutus, & temperantiæ prætextu deceptos seducens. Mysterijs autem similiter vsus est ad imitationem sanctæ Ecclesiæ; Verum aqua solùm vsus est in ijsdem mysteris. Hæc Epiphanius. Aquarios S. Augustinus hos nominat hæreticos, qui aquam tantum in sacrificio offerrent.

Docuisse etiam Tatianum ab animantibus abstinentiam, ex Irenæo tradit Eusebius. Addit Clemens Alexandrinus, *Euseb. lib. 4. cap. 27.* à Tatiano etiam illud dictum; Alterius Dei esse legem, alterius Euangelium; & duplex genus hominum statuisse, vetus, *Clem. Alex. strom. lib. 3.* & nouum, non tamen eo sensu, quo à Catholicis. Hæc ab eo dici consueueuerunt. Nam addit Tatianus: Separat veterem quoque hominem, & nouum, sed non, vt nos dicimus; veterem quidem virum, legem; nouum autem Euangelium: ei assentimur nos quoque dicentes, sed non eo modo, quo ille vult, dissoluens legem, vt alterius Dei, &c. Hæc etiam à Marcione, ipsum esse mutuatum apparet, vt auctorem legis Deum diceret aduersarium esse Euangelij conditoris. Disputat idem pluribus aduersus eius hæresim, vini vsum prohibentem, in libro, cuius titulo est, Pædagogus. Ad hæc Eusebius: Hunc autem aiunt nonnullos Pauli Apostoli voces, vt potè qui dictionis, & loquendi compositionem *Idem in Pædag. lib. 2. c. 2. in fin.* in illis corrigere moliretur, audaciter, & temerè commutasse, ab eodem elaboratum esse opus, quod Διάτεσσαρων appellauit, quòd vnum ex quatuor Euangelium contexuisset, *Euseb. lib. 4. cap. 23. in fin.* idem affirmat. Laudabilis planè fuisset, hac ex parte Tatianus, nisi dolosè sic compingens, vnum ex quatuor multa reliquisset, quæ de Christi carne in eis ab Euangelistis sunt prodita, quippe qui Marcionis semel malè imbutus, tinctura quæcunque valuit, pro eius dogmatibus facere non prætermisit.

Theod. hæret. fabul. lib. 1. De eodem opere agens Theodoretus, hæc ait: Is autem composuit etiam Euangelium, quod dicitur, ex quatuor, amputatis genealogijs, & alijs quæcunque ostendunt, Dominum natum esse ex Dauid, secundum carnem. Eo autem vsi sunt, non solùm hi, qui sunt illius sectæ; sed ij, qui dogmata Apostolica sequuntur, compositionis fraudem non cognoscentes, sed simplicius eo tanquam libro compendioso vtentes. Ego quoque inueni plusquam ducentos eiusmodi, qui in honorem habebantur in nostris Ecclesijs, quos cum omnes simul coegissem, deposui, & in loco eorum reposui quatuor Euangelistarum Euangelia. Hæc Theodoretus, quæ quidem latuisse oportuit Victorem Capuanum, dum quodnam esset Tatiani opus, & quod Ammonij Alexandrini eodem argumento conscriptũ, dubitasse se dicit; At quod deterius est, post longam de ea re habitam discussionem, quod Ammonij erat opus Tatiano tribuit, & Diathessaron Tatiani adscripsit Ammonio. Existimo enim hæresiarchæ opus, absque Auctoris titulo, ob sectæ infamiam, fuisse descriptum.

Sed præstat, quæ ipse præfatur in Harmoniam Ammonij (Hic nempe erat titulus libri) quam adscribit Tatiano, hic vt cuncta certiora habeantur est scribere. Est autem eiusmodi eius ad opus præfatio: Dum fortuitò in manus meas incideret vnum ex quatuor Euangeliũ compositum, & absente titulo, non inuenirem nomen auctoris, diligenter inquirens, quis gesta vel dicta Domini, & Saluatoris nostri Euangelica lectione discreta, in ordinem quo se consequi videbatur, non minimo studij labore redegerit: reperi Ammonium quendam Alexandrinum, qui Canonum quoque Euangelij fertur inuentor, Matthæi Euangelio, reliquorum trium excerpta iunxisse, ac in vnam seriem Euangelium nexuisse, sicut Eusebius Episcopus Carpiano cuidam scribens, in præfatione editionis suæ, qua Canones memorati Euangelij edidit, supradicti viri imitatus studium, refert in hunc modum: Ammonius quidam Alexandrinus multum, vt arbitror, laboris & studij impendens, vnum ex quatuor

reliquit

reliquit Euãgelium. Ex hiſtoria quoque eius comperi, quod Tatianus vir eruditiſſimus, & orator illius temporis clariſſimus, vnum ex quatuor compaginauerit Euangelium, cui titulum Diapente impoſuit. Hic Beati Iuſtini Philoſophi & Martyris, dum aduiueret diſcipulus fuit, quo migrante ad Dominum palma martyrij, magiſtri ſancti deſerens diſciplinam, & doctrinæ ſupercilio elatus, lapſus in Encratitarum hæreſim, Marcionis potius amplexus errorem, quam Iuſtini Chriſti Philoſophi veritatem, ſuæ vitę perniciosus extitit: aſſerens inter alia, nuptias & ſtupra pari crimini ſubiacere. Sed & dictis Apoſtolicis manus prophanæ emendationis, vel (vt dicam verius) corruptionis dicitur intuliſſe. Sed quia, & hominum perfidorum (Chriſti noſtri operante potentia) confeſſione, vel opere ſæpe triumphat gloria veritatis (nam vt dæmones Chriſtum fatebantur, & filij Sceuæ in Actibus Apoſtolorum in nomine Ieſu, quem Paulus *Matth.8.* prædicaret, dæmonia fugabant) Tatianus quoque, licèt *Act.19.* prophanis implicitus erroribus, non inutile tamen exhibens ſtudioſis exemplum, hoc Euangelium (vt mihi videtur) ſolerti compaginatione diſpoſuit: & forſitan adhuc B. Iuſtini adhærens lateri, illius eruditionis merito, hoc opus explicuit. Arbitror enim propterea, non Ammonij, ſed huius eſſe editionem memorati voluminis, quod Ammonius Matthæi fertur relationi, Euangeliſtarum reliquorum relatione diſcretos annexuiſſe ſermones: hic verò S. Lucæ principia ſunt aſſumpta, licet ex maxima parte Euangelij S. Matthæi reliquorum trium dicta coniunxerit, vt iure ambigi poſſit vtrum Ammonij, an Tatiani inuentio eius operis debeat æſtimari. Veruntamen, vel ſi iam hæreſiarches huius editionis auctor extitit Tatianus, verba Domini mei cognoſcens, libenter amplector interpretationem: ſi fuiſſet eius propria, procul abijcerem. Hucuſque de his Victor, qui poſt præfationem eiuſmodi ponit operis titulum: Sancta quatuor Euangeliorum Harmonia, Tatiano Alexandrino auctore.

Cæterum ipſo tantum Tatiani ſublato, & reſtituto Ammonij

monij nomine, omnia ſe rectè habent: nam quod ponitur Alexandrinus, Ammonio conuenit, qui fuit Alexandrinus, non Tatiano, qui Syrus: & Harmoniæ nomen, non operis Tatiani, ſed Ammonij titulus fuit: hæc ita ſe habere ipſe contextus, qui ſequitur quatuor Euangeliſtarum planè declarat, in quo nihil ponitur Auctoris, ſed ipſa tantum, vt ſe habent in Codicibus quatuor Euangeliſtarum verba, nec quidquam ab eo prætermiſſum, quod illi dixiſſent: quod quidem nequaquam factum eſſe à Tatiano, Theodoretus eſt firmiſſimus teſtis: nam ait ab eo prætermiſſas eſſe genealogias, & alia, quæ ad inſinuandam Chriſti generationem, ſecundum carnem ſpectarent: quæ quidem omnia exacte (vt habent verba Euangeliſtarum) in ea Harmonia Ammonij à Victore Tatiano tributa, habentur recitata.

Quod denique ad eiuſdem Tatiani commentarios pertinet: Auctor eſt Clemens Alexandrinus, ab ipſo ſcriptum librum hoc titulo prænotatum: De perfectione ſecundum Saluatorem, ſed refertum blaſphemijs, cum in eo totus fuerit Auctor in condemnationem nuptiarum, & eius auctoris, nempe DEI, qui eas primus inſtituit: nam ex paucis, quæ idem Clemens recitat, ex eo facilè eſt de cæteris coniectari. At quoniam Theodoretus de Tatiano agens, ait: Hunc habent Ducem, qui dicuntur Hydroparaſtatæ, & Encratitæ: qui nam hi fuerint ſuſcepta narratio de Tatiano, vt dicamus, poſtulat. Nominati ſunt autem Hidroparaſtatæ, qui Tatianum ſectabantur, eo quod aquam in ſacrificio loco vini offerrent. Porrò Tatianos cum Encratitis coniungit Epiphanius, adeo vt appareat vnius monſtri, ex diuerſis actibus duo fuiſſe nomina.

Clem. Alex. ſtrom. lib. 3.

Theod. hæret. fabul. lib. 1.

Epiph hæreſ. 47.

Encratitas igitur ex Tatiano prognatos, non modo omnia ab ipſo accepta ſectatos, ſed & in deteriora eſſe prolapſos, Epiphanius docet: quippe quia, ſicut illi abominarentur nuptias, abſtinerent ab animatis & vino, & alia ſectarentur, quæ Tatiani eſſent; aliaq; etiam eos addidiſſe tradit; nam ait: Aſſerunt etiam hi principatus quoſdam eſſe, & qui diaboli eſt, aduerſus Dei opera oppoſitum eſſe,

& Deo non subiectum, sed robustum, & facientem velut ex propria potestate, & non velut qui aberret; additq; eos ad suorum ipsorum dogmatum adstipulationem, aucupatos esse scripturas quasdam apocryphas, nimirum acta quædam, quæ dicerentur Andreæ, Ioannis alia, alia verò Thomæ, & aliorum. Insuper admittere fœminas ad sacra mysteria, inter quas & viuant, adeo vt qui nomine continentes sunt dicti, re ipsa turpes essent: horumque non exiguum numerum sua adhuc ætate vixisse in Phrygia, Galatia, Pamphilia, Cilicia, atque Syria.

Auxisse autem Tatiani dogmata Seuerum quendam, qui Seuerianis hæreticis nomen dedit, tradit Eusebius cum ait: non longo tempore post, Seuerus quidam nomine, hæresim modo à nobis commemoratam, mordicus tuebatur, atque illis, qui ex eo tanquam ex erroris fonte demanarunt, auctor extitit, vt Seueriani appellatione ab eo deriuata nominarentur. Meminerunt eiusdem Hieronymus, ac Theodoretus. S. Augustinus autem de ijsdem Seuerianis hæc addit: Vinum, inquit, non bibunt, eo quòd fabulosa vanitate, de Sathana & terra germinasse asserunt vitem: etiam ipsi non sanam doctrinam suam, quibus volunt inflant nominibus Principum, carnis resurrectionem, cum veteri testamento respuentes. Hic præterea Philomelam quandam puellam dicebat, inspiratam diuinitus ad pronuncianda futura, ad quam somnia atque æstus animi sui referens diuinationibus, seu præsagijs eius secretim erat solitus præmoneri, eodem phantasmate eidem Philomelæ pueri habitu se demonstrante, qui puer apparens Christum se aliquando, aliquando esse assereret Paulum, à quo phantasmate sciscitans, ea soleret respondere, quæ se audientibus diceret: nonnulla quoque illa miracula operari solitam, inter quæ illud præcipuum, quod in angustissimi oris ampullam vitream, panem grandem immitteret, eumque estremis digitulis leuare soleret illæsum, eoq; solo, quasi diuinitus sibi cibo dato, fuisset contenta. Hæc Augustinus: Veruntamen Philumenen (vt dictum est superius) alij tribuunt

Euseb. lib. 4. cap. 24.

Aug. de hæres. cap. 24.

buunt Apelli hæresiarchæ, sed fortasse hæc alia ab illa, quæ hisce nuptijs, atque præstigijs magnam sibi æstimationem à vecordibus comparauerat.

Quod item ad Tatiani fautores spectat, addit Clemens Alex. Iulium Cassianum Valentini hæresiarchæ discipulum in eandem sententiam conspirasse cum Tatiano, fuisseque hunc principem hæresis Docitarum, qui dicerent Christum corpus sumpsisse fantasticum; sed & ad roborandum Tatiani dogma, scripsisse librum de continentia, vel castitate, & pseudo Euangelio secundum Aegyptios dicto, mutuatum esse testimonium de Christo loquente cum Salome, ac matrimonium detestante; eundemq; perperam interpretatum esse Genesim, cum per lignum vetitum diceret, significatum esse coniugium, & per pelliceas tunicas humanam carnem. Hæc & alia ex eo recitat Clemens, quem hæc detestantem vtinam Origenes eius discipulus auscultasset.

Scripsisse aduersus Tatianũ, & Encratitas Musanum veritatis patronum, tradit Theodoretus, cui & alios annumerat, nempe Apollinarem Hierapolis in Phrygia Episcopum, Clementem Alexandrinum, & Origenem; Rhodonem quoque Tatiano aduersatum esse, Eusebius non obscurè significat: qui licet illius discipulus fuerit, tamen magnam sibi laudem ex fide Catholica, ob certamina aduersus diuersos hæreticos inita, propagauit, de quo hæc Eusebius breui narratione commemorat: Eodem tempore Rhodon Asiatico genere procreatus, & Romæ (vt narrat ipse) de litteris, & doctrina à Tatiano, qui ex superiori nostro sermone satis cognosci potest institutus, varijs libris exquisitè compositis, strenuè cum reliquis fidei nostræ Patronis impugnauit Marcionis hæresim, eamq; etiam sua ætate in varias & discrepantes distractam sententias, explanat, ac non modo dissidij, & dissensionis describit auctores, sed falsa cuiusque illorum commenta, quæ callidè excogitauerant, accuratè coarguit. Ex ijs namque vnum fuisse Tatianum, quem Marcionis sectatum vestigia diximus, satis potest intelligi: Demum lucubrationes, ab eo editas recensens, ab eo elaboratum

Theod. hæret. fabul. lib. 3.

Euseb. lib. 5 cap. 13.

ratum tradit Commentarium, in ſex dies creationis rerum omnium, quo errores Apellis, & eius blaſphemias egregiè confutauit; alia verò eius ingenij monumenta ſuperius recitata, hic iterum enumerare prætermittimus: quæ ſingula Hieronymus ex Euſebio recenſet.

His igitur, alijsq; ab hæreticis, ad demoliendam Eccleſiam compoſitis arietibus, cum & adhuc gladius perſecutionis ſæuiret, quo ſublatum etiam ſequenti anno Anicetum Papam dicemus: ſatis certum, exploratumq; proditum eſt experimentum; ipſam ſupra ſolidum fundamentum eſſe conſtructam, ſuper ipſam nimirum immobilem petram Chriſtum, vt nulla aduerſaria obnitente poteſtate, aliquando diſijci poſſet, & dirui: quin potius ſicuti clauus, quo maioribus, ac frequentioribus mallei ictibus percutitur, eo preſſius, atque altius figitur, ac firmius ſolidatur, ita Dei Eccleſia, ingruentibus maiorum perſecutionum inſultibus, magis viſa eſt firmari, atque ſolidius ſtabiliri, vt plane iuge miraculum cognoſcatur: cum aſſidue emergentibus, ab inferis aduerſarijs legionibus: indeque erumpentibus quotidie in eius incendium flammarum globis: ipſa nihilominus omnia ſibi aduerſantia ſuperet, referatque triumphum, ingenti illo gloriæ titulo prænotatum: Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.

CAP. XI.

Annus nonus Aniceti.



ANNO Chriſti Domini noſtri centeſimo ſeptuageſimo quinto, Aurelius Seuerus ſecundum, & Claudius Pompeianus declarati ſunt Conſules. Hunc Claudium M. Aurelius poſt obitum Lucij fratris profecturus ad bellum, data ei Lucilla filia, quæ fuerat Lucij in coniugem, aſciuit ſibi generum, quem poſtea

bis Consulem fecit, quod tradit Capitolinus in Marco. Hunc etiam in eadem expeditione præfectum fuisse exercitui: edictum ab ipso Marco datum pro Christianis, de quo suo loco agemus, significat. Quod verò gener Imperatoris in Consularibus fastis non priori loco, sed posteriori ponatur (nam Seuerus secundò Consul, primitus adscriptus habetur) illud planè tunc accidit, quod S. Gregorius Papa tradit his verbis: Fertur apud veteres moris fuisse, vt quisquis Consul existeret, iuxta ordinem temporum honoris sui locum teneret: & si quis posterius ad Consulatum veniens, Consul non semel, sed bis fortasse, aut tertiò fieret: etiam illos laude, & honore transcenderet, qui non plus, quàm semel Consules extitissent. Hæc Gregorius; sed ex Dione, vt superius diximus.

Greg. homil. 5. in Euang.

Hic sanctus vir, licèt in multis constitutus periculis, animum tamen à re diuina nunquam reuocauit; & ideo constituit, vt Clericus comam non nutriret, secundum præceptũ Apostoli, qui ait: Omnis autem mulier orãs, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum: Vnum est ac si decaluetur; velet caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est: mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum (ideo debet mulier velatum caput habere propter Angelos) Veruntamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino: nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem; omnia autem ex Deo. Vos ipsi iudicate: Decet mulierem non velatam orare Deum? nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi; quoniam capilli pro velamine ei dati sunt, iuxta Apostolum: non nutriant comam. Hoc decreto Anicetus Pontifex confirmat id, quod Apostolica traditione, ac constitutione in Ecclesiam deriuatum est, vt scilicet eorum capita in modum spheræ tondeantur desuper, qui à communi hominum vita recedentes, excultius vitæ genus sectentur: Ita Isidorus de diuinis officijs. Huius ritus mẽtio est apud Dionysium de Ecclesia-

1. Cor. 11.

Isid. de diu. off.

stica

ſtica Hierarchia par. 2. cap. 3. In Eccleſia à primis ſæculis vſque huc, prædictum ritum frequentatum eſſe conſtat, non tantum ex Dionyſio Areopagita, ſupra allegato loco, vbi ait: Monachos tonderi ſolitos fuiſſe; ſed etiam ex Epiphanio hæreſi 80. Auguſtinus de operibus Monachorum cap. vltimo, vbi reprehendit quoſdam Monachos, qui aliorum more tonderi nollent. Ex Hieronymo in epiſtola quadam ad Auguſt. quæ eſt inter epiſtolas Auguſtini 26. vbi ſic ait: Euodium, vt meo nomine ſalutes, precor coronam tuam. Item ex Auguſtino epiſt. 147. ad Proculianum Epiſcopum, quo loco hæc ſcribit: Per coronam noſtram nos adiurant veſtri: per coronam veſtram vos adiurant noſtri. Ex Concilio Carthaginenſi 4. Canon. 44. quod prohibet Clericis comam & barbam alere; ex Concilio Toletano 4. cap. 40. iubet, vt omnes Clerici detonſo ſuperius capite, toto inferius ſolam circuli coronam relinquant. Rectè igitur hic Anicetus ait: ſecundum Apoſtolos eſſe comam non alere, ſed caput demiſsè tondere: nam quæ per vniuerſam Eccleſiam toto terrarum orbe recepta, ab Apoſtolorum temporibus vſu frequentata leguntur, ea ſecundum regulam S. Auguſtini epiſt. 118. ad Ianuarium, ab Apoſtolis profecta, & conſtituta eſſe rectè creduntur.

Dionyſ. de eccl. hier. par. 2. c. 3 *Epiph hæreſ. 80.* *Aug. de oper. monacor. c. vltimo.* *Hier. in epiſt. ad Aug.* *Aug. ep. 147.* *Conc. Carthagin. 4. can. 44.* *Conc. Tol. 4. cap. 40.*

Et vt liquidò conſtet omnibus, hunc tonſuræ vſum, quem Anicetus inſtituit, non ſolùm ſecundum Apoſtolicam traditionem, vt dictum eſt; verum etiam antiquiſſimum extitiſſe, vt liquet ex Baronio tomo 1. anno octuageſimo, & dicitur infra abundanter: nam Nazaræni, qui cæteris ſanctiores haberentur, religionis ergò, in templo capita radenda offerrent, Apoſtolica traditione in Eccleſiam deriuatum traditur, vt qui à communi hominum vita recedentes, excultius viuendi genus affectarentur, ac per omnia ſe ſe diuino cultui manciparent, deberent eorum capita radi. Id Iſidorus his verbis teſtatur: Tonſuræ Eccleſiaſticæ vſus à Nazarænis, ni fallor, exortus eſt: qui prius crimine ablato, denuò poſt vitæ magnam continentiam, deuotione completa, caput radebant, & capillos in ignem ſacrificij ponere iubebantur,

Iſid. de diuin. off in Concil. Aquiſgran. cap. 1.

bantur, scilicet, vt perfectionem deuotionis suæ Domino consecrarent. Huius ergo exempli vsus ab Apostolis introductus est, vt qui diuinis cultibus mancipati, Domino consecrantur, quasi Nazaræi, idest sancti Dei, crine præciso innouentur. Hoc quoque & Ezechieli Prophetæ iubetur, dicente Domino: Tu fili hominis sume tibi gladium acutum, & duces super caput tuum, & barbam. Videlicet, quia ipse sacerdotali genere Deo in ministerio sanctificationis seruiebat. Hoc & Nazaræos, Priscillam, & Aquilam in Actis Apostolorum primos fuisse legimus; Paulum quoque Apostolum, & quosdam discipulorum Christi, qui huiusmodi cultu imitandi extiterunt. Est autem Clericis tonsura signum quoddam, quod in corpore figuratur, & in anima agitur, scilicet, vt hoc signo, & religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ, quasi crinibus exuamur, atque inde innouatis sensibus, vt comis rudibus, enitescamus expoliantes nos, iuxta Apostolum, veterem hominem cum actibus suis, inducentes nouum, qui renouatur in agnitione Dei: quam renouationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, vbi ipsa mens noscitur habitare. Quod verò detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium, regnumq; Ecclesię in eis existimo figurari. Thiara enim apud veteres constituebatur in caput Sacerdotum, hæc ex bisso confecta, rotunda erat quasi sphera media, & hoc significabatur in parte capitis tonsi: non autem latitudo aurei circuli est, quæ Regum capita cingit. Vtrumque itaque signum exprimitur in capite Clericorum, vt impleatur corporis etiam quadam similitudine, quod scriptum est, Petro Apostolo prædocente: Vos estis genus sanctum, regale Sacerdotium. Quæritur autem: Cur sicut apud antiquos Nazaræos, non ante coma nutritur, & sic tondetur? Sed qui hæc exquirunt, animaduertant quid sit inter illud propheticum velamentum, & hanc Euangelij reuelationem, de qua dicit Apostolus: Cum transieris ad Christum, auferetur velamen. Quod autem significabat velamen interpositum inter faciem Moysi, &

Ezech. proph. 5.

aspe-

aspectum filiorum Israel, hoc significabat illis temporibus coma Sanctorum. Nam & Apostolus comam pro velamento dicit esse, proinde iam non oportet, vt velentur crinibus capita eorum, qui Domino consecrantur, sed tantum vt revelentur, quia quod erat occultum in sacramento prophetiæ, iam in Euangelio declaratum est. Hucusque Isidorus.

Quod igitur non integra Clericorum, vel Monachorum capita raderentur, præter ea, quæ ab Isidoro sunt dicta, illa etiam causa suppeditari posse videtur, ne scilicet secundum Iudaicum, vel Gētilicium ritum nos facere videremur: nimirum Iudaizare cum Nazaræis, & superstitionem sectari Isidis, Serapidis, & aliorum Gentilium sacerdotum, qui omnes corporis pilos, & capillos penitus corradebant. Scimus, & apud Græcos, Tragenios, & Assyrios Iudæis confines æmulatos esse eiusmodi ritum tondendi capillos, eosdem in templo offerendi numini; sicut & abstinentiam ab esu porcinæ carnis, & alia: sed & apud Romanos cum primum barbam raderent, atque crines, ea numini dedicare moris fuisse, apud Suetonium in Nerone notatum habes. Alia insuper affertur causa, quod capillorum corona, reliquo raso capite, integra consueuerit remanere: nimirum ob iugem memoriam spineæ coronæ impositæ capiti Domini nostri Iesu Christi; idque ab Apostolis factitatum, & Ecclesiæ traditum, certa assertione apud Bedam legitur post alia: Inter omnes autem, quas in Ecclesia, vel in vniuerso hominum genere reperimus tonsuras, nullam magis sequendam, amplectendamque, iure dixerim ea, quam in capite suo gestabat ille, cui se confitenti Dominus ait: Tu es Petrus, &c. & paulò post: Neque ob id tantum in coronam attondemur, quia attonsus ita est Petrus; sed quia Petrus in memoriam Dominicæ passionis ita attonsus est. Idcirco & nos, qui per eandem passionem saluari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice, summa videlicet corporis nostri parte gestamus: Sicut enim omnis Ecclesia, quæ per mortem sui viuificatoris, Ecclesia facta est, signum sanctæ Crucis in fronte gestare consueuit, vt crebro

Hieron. in Ezech. c. 46 & Ambros. ad Sabin. ep. 3. edit. Rom.

Lucian. in Dea Syria in fin.

bro

bro vexilli huius munimine à malignorum ſpirituum defendatur incurſibus, & crebra huius admonitione doceatur, ſe quoque carnem cum vitijs, & concupiſcentijs crucifigere debere. Ita enim oportet eos, qui vel Monachi votum, vel gradum clericatus habentes, arctioribus neceſſe habent pro Domino ſe continentiæ funibus aſtringere: formam quoque coronæ, quam ipſe in paſſione ſua ſpineam portauit in capite, vt ſpinas ac tribulos peccatorum noſtrorum portaret, ideſt exportaret, ac auferret à nobis, ſuo quemque in capite per tonſuram perferre, vt ſe irriſiones, & opprobria pro illo libenter, ac prompto animo ſufferre, ipſo etiam frontiſpitio doceant, vt coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe ſemper expectare, piaq; huius perceptione, & aduerſa mundi, & proſpera contemnere deſignarent. Hæc ibi, quæ & alij tradiderunt. Cum enim ſciamus conſueuiſſe eiuſmodi ludibrio Romæ affici ſapientes viros, qui Philoſophi dicerentur, eandem in Petrum illatam eſſe contumeliam, haud vanum erit exiſtimare. Sanè quidem de Apollonio Thianeo Philoſopho Pithagoreo, qui eius ſectæ ſuo tempore eſſet facilè Princeps, ſcribit Philoſtratus à Domitiano eſſe detruſum in carcerem, ab eodemque miſſum eſſe tonſorem, qui comam capitis,& promiſſam philoſophicam barbam amputaret. Cum alioqui criminum rei intonſa barba, atque capillo agere ſolerent. Sed & ſi quæ fides apocrypho eſt adhibenda: legitur in Pſeudoprocoro Ioannem Euangeliſtam iuſſu eiuſdem Domitiani, ignominiæ cauſa, capite attonſum eſſe. Teſtatur & Cyprianus ſimilia, de damnatis ad metalla, cum ait: Semitonſi capitis horreſcit capillus; & in reſponſione: ſemitonſi capitis capillaturam adequaſti. Solebat eiuſmodi abraſio capitis ſignum eſſe hominis turpiſſimi, & ſceleſtiſſimi. Vnde illud Ciceronis pro Roſcio Comœdo: Nonne ipſum caput, & ſupercilia, illa penitus abraſa olere malitiam clamitare calliditatẽ videtur. Et infra: qui idcirco capite, & ſupercilijs ſemper eſt raſus, ne vnum pilum boni viri habere dicatur. Hæc Cicero de leuiſſimo homine, qui ſic ſe raſerat.

Cypr. ep. 77.

Abraſio capitis ſignũ turpitudinis & ſceleris apud veteres.

Verùm

Verùm quæ ab alijs ignominiæ causa hisce hominibus fieri solebat, abrasio diuersi generis erat: Nam præter illos, de quibus est dictum, alia erat, quæ à Luciano sic describitur, dum agit de Morione: Moxq; ingressus deformis quidam deraso capite, pauculos capillos in vertice gestans, eosq; cristæ in morem erectos. Hæc in conuiuio Lucianus. Idem in epistola ad Saturnum: Vertex illius asperis, & pungentibus setis sit hirtus. reliqua capitis parte nuda, Tertullianus etiam sic attondi consueuisse Numidas testatur, cum ait: Apud aliquos Numidas etiam equis Cesariatos iuxta cutem tonsos, & cultri vertex solus immunis. Hæc ille. Addimus illud, quod Caius Imperator occipitia adolescentulorum, ludibrij causa, radere consueuit, de quo Suetonius: Pulchros, & comatos quoties sibi occurreret, occipitio raso deturpat. Moris fuisse etiam penes Romanos seruorum radi capita, Tacitus, & alij plures testantur, sicq; videas non vnius generis fuisse capillorum abrasionem, licèt omnes æquè ad inurendam ignominiæ notam ab alijs pro animi cuiusque sententia excogitarentur. In sacris demum litteris huiusce etiam contumeliæ vestigium extat, secundo Regum 10. & primo Paralip. 19. Legatos, quos Dauid miserat ad Naas Regem filiorum Ammon, de morte patris sui consolandum; ille iniquis cedens consilijs, in signum contumeliæ rasit, & decaluauit. Sensit ignominiam Rex Dauid, adeoq; molesto animo tulit, vt aduersus Ammonitas grauissimum susceperit gesseritq; bellum, non desistens donec fusis exercitibus, regione vastata, Vrbibus captis, atque direptis, incolis eiectis, popularibus, variè cruciatis, dignam tantæ iniuriæ retulerit vltionem. Immo ad hunc morem radendi captiuorum capita alludens, Deus ipse loquens per Moysem Deuter. 32. verba illa protulisse videtur: De cruore occisorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis, vt ibi glos. notauit. Sed iam ad Clericorum tonsuram, cuius causa eiusmodi facta est digressio, reuertamur. Ea igitur, quæ Principi Apostolum derisionis, & ignominiæ causa illata est infamiæ nota, totius Ecclesiæ

Tertull. lib. de pallio cap. 4.

Suet. c. 35

Cor. Tac.

M honori

honori cessit. Et quid mirum cum ipsa quoque pœnarum instrumenta pietas Christiana, in amplissimam gloriam commutata, & habere consueuerit in honore; Idque virtute, ac merito Crucis Christi, quæ mundi contemptibilia, ignobilia, & infirma, ad maximum omnium gloriæ culmen euexit? Sed antiquum eius rei vsum inspiciamus: præter illa, quæ de Apostolica institutione, atque traditione sunt ex dictis nuper auctoribus recensita: non aliunde id certè, quàm ab Apostolico fonte fluxisse, Oriens, Occidensq; pariter, ac omnes denique regiones, in quibus Christiana fides est aliquando propagata, pari consensione visæ sunt, ne dum hæc esse testatæ; sed æquè omnes id ipsum firmissima eius rei obseruatione probasse. Doceat quis velim Prouinciam orbis aliquam, quæ Christi nomen accepit, eiusdem fuisse tonsuræ clericalis expertem. Quoniam alio quæso, quàm Apostolorum præconia rem tam nouam, atque adeo inusitatam, ac penitus ab alijs intentatam radendi in modum spheræ, vel coronæ capitis Christianus orbis potuit suscepisse, ac firmiter tenuisse, nullo præcedente maiorum exemplo? Nam si Iudæos spectes, vnde fluxit Christiana religio diuina lege radere caput Sacerdotibus interdictum fuisse reperies, dicente, atque monente: Sacerdotes nec radent caput, nec barbam; & communiter omnibus vetitum in rotundum attondere comam, & radere barbam; licèt verborum illorum diuersa lectio habeatur. De Gentilibus diximus planè diuersum à nostro fuisse illorum ritum, quippe qui non tantum capitis capillos omnes vsque ad supercilia, sed totius corporis pilos, Isidis præsertim sacerdotes radere consueuerint. Et quis existimet Christianos voluisse illos imitari, quorum non tantum sacra, sed & sacerdotes etiam, præsertim ob causam, tantoperè deriderent? Consulat qui de his dubitat antiquorum Patrum aduersus gentes scriptas apologias, in ijs vtique hæc omnia fusius inueniet explicata. Nemo igitur sanæ mentis leuiter dixerit esse introductum, atque seruatum absque exemplo, quod Catholica vbique Ecclesia custodiuit.

Deut. 21. *Leuit. 19.*

Certè

Certè adeò peruulgata in orbe res fuit, vt nec scriptores Ethnici de ea tacuerint. Nam Ammianus Marcellinus *Ammon. Marc. lib. 22.* testatur temporibus Iuliani Apostatæ, Theodorum quendam Ecclesiæ ædificandæ Præfectum, ab Ethnicis supplicio affectum, quod, vt ait, cirros puerorum licentius detondebat, nihil aliud significans, nisi quod pœnas dedit, eo prætextu, quod complures pueros in Clericos cooptaret; capillorum enim tonsura eiusmodi initiari (vt etiam modo fit) antiquitus consueuisse, satis est exploratum, sed & exemplum habes in Otreio Episcopo Melitensi, sanctitate & doctrina celeberrimo, qui claruit temporibus Theodosij senioris, cuius & sanctionibus commendatur, cum sanctum Euthymium ordinauit lectorem. Hæc de eo Cyrillus *Cyrill. de fid Cath. li. 3. Cod. Theod.* in rebus gestis Euthymij scribit: Cum eum baptizasset, & pilos, qui ex lege tondentur pueris totondisset, in gradum lectorum eum cooptat; sed quod amplior esset illorum tonsura, qui maioribus initiaretur ordinibus, hinc Euagrius *Id in Euthym. apud Lip. tom. 5.* Scholasticus ait: Coma abrasa presbyter designatus est. *Euagr. histor. lib. 3. c. 20. in fi.* Mentio est eius ritus apud Dionysium: Cum igitur de his qui in Monachos cooptantur, eiusq; rei spiritalis census declaratur. *Dionys. de eccl. hier. p. 2. c. 3.* Ad hoc pertinet, quod in libro de Romanis Pontificibus peruetusto, qui fertur nomine Damasi, de Aniceto habetur, instituisse scilicet secundum præceptum Apostoli, ne Clerici comam nutrirent. Multa enim quæ ab Apostolis siue scripto, siue sine scripto statuta essent, decretis iterum editis, ea accuratius esse seruanda, sæpe Romani Pontifices præcepere: Sed quod illic breuiter notatur, vt secundum Apostoli præceptum, Clerici comam non nutriant: haud de communi illa viris omnibus, à Paulo præscripta lege, ne videlicet illi, mulierum exemplo comam nutrirent, significare voluit auctor illis verbis: Sed vt qui sanctioris vitæ mancipantur ordinibus, excultioris etiam vitæ characterem in capite ferrent. Hocq; idem esse, quod habetur in Concilio Carthaginensi, & Agathensi, ne Clerici comam *Conc. Carthagin. 4. cap. 44.* nutriant, sed tondeant. At si non de tonsura in modum sphæræ fieri solita patres intellexerunt: quid tam instanter *Conc. Agath. c. 20*

Clericis faciendum esse mandarunt, quod Apostolica lege quisque laicus facere teneretur, nempe comam non nutrire, sed capillos disponere? Quod igitur Clericis id faciendum præcipitur, quia alia ratione videretur esse mandatum, alio etiam ritu erat implendum, nimirum vt in summo vertice depressius caput tonderent, aut raderent. Cum verò multæ eius rei allatæ sint causæ, illam adijcimus, nempe, vt mancipatæ semel vitæ diuino cultui per capillorum oblationem, eo signo sæpius iterato, assiduo meminisse deberent; & quod sollemniter præstitissent, semel sæpe repeterent; Aliquibus verò in locis, vt in Hispania postmodum accidit, vt occasione quorundam hæreticorum, qui eandem cum Catholicis vsurparent capillorum tonsuram, ac proinde eo signo vellent videri Catholici: eius regionis Episcopi conuentu habito, dilatandam eiusmodi capitis tonsuram statuerint. Est de his Canon in hæc verba descriptus: Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Leuitæ, & Sacerdotes detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant: non sicut hucusque in Galiciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, vt laici, comis in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispanijs hucusque Hæreticorum fuit. Vnde oportet pro amputando ab Ecclesijs scandalo, hoc signum dedecoris auferatur, & sit vna tonsura, vel habitus, sicut totius Hispaniæ est vsus. Qui autem hoc non custodierit, fidei Catholicæ reus erit. Porrò eandem coronæ formam in S. Nicetio Episcopo Treuerensi habes diuinitus efformatam: Sic enim de eo scribit Gregorius Turonensis: Sanctus Nicetius Episcopus ab ipso ortus sui tempore Clericus est designatus: nã cum partu fuisset effusus, omne caput eius, vt est consuetudo nascentium infantium, à capillis nudũ quidem cernebatur; In circuitu verò modicorum pilorũ ordo apparuit, vt putares ab eisdem coronam Clerici fuisse signatam.

Conc. Tol. 4. cap. 40.

Greg. Turon. in vit. sanct. Pat. c. 17.

Cæterum & in his, sicut in alijs, multa diuersa fuit diuersarum Ecclesiarum consuetudo. Vbi verò nihil corruptum est ab hæreticis, nulla alia mutatio intercessit. Non

enim

enim fuit recens æmulatio Hæreticorum, vt & ipsi incederent tonsura decori: Nam si fidem adhibemus his, quæ ab erudito Auctore Beda, iam ipsis Apostolorum temporibus, etiam Simon Magus tonsuræ genus quoddam excogitauit. Sed hæc à maioribus scripta non produntur: Nam & de eadem epistola, quam recitat Beda, loquutus esse videtur Amalarius, qui eam haud tantæ fidei fuisse dicit, vt reciperetur ab omnibus; ipse enim dum de tonsuræ origine disputat, hæc scite quidem, atque prudenter affirmat: Interrogatus, inquit, ab aliquibus, quis primus tonsus sit in nostro more? Legi in epistola cuiusdam viri, Petrus: Sed quia non tantæ auctoritatis est, vt ex illa firmare valeamus nostram sententiam, maluimus eam silentio præterire: Non tamen ab re est, si dixerimus illum, aut aliquem successorem eius primo fuisse tonsum nostro more; quoniam ab illa Ecclesia sumptus est talis vsus, in qua illi sederunt. Sed quid ad nos? cum multa agamus ex consuetudine præsentis Ecclesiæ, quorum auctores proferuntur specialiter, sicut nec obseruationes quadragesimalis temporis ante Pascha: scimus tamen ex demonstratione S. Augustini, consensione Ecclesiæ eam esse roboratam, sic & nos dicimus tonsuram nostram ex auctoritate, & consuetudine Romanam Ecclesiam esse roboratam. Hæc, & alia Amalarius. Sed quod ait: etsi non à Petro, saltem ab aliquo Petri successore, tonsuræ vsum antiquam sibi originem vendicare, certè de nullo alio, quàm de Aniceto est testimonium, qui cum tam proximus fuerit Apostolorum temporibus, quod ipse statuit æque ab Apostolis traditum esse potuit: nam quod Irenæus testatur ad sua tempora, nempe sub Eleutherio in Romana Ecclesia traditiones Apostolicæ illibatæ, atque incorruptæ seruatæ sunt, vt merito ob eam causam idem appellet ipsam Romanam Ecclesiam, diues depositorium Apostolicarum traditionum.

Beda hist. Angl. lib. 5. c. 22.

Annal. de eccles. off. c. 5.

Iren. lib. 3 c. 3. & 4.

Verùm distinctam fuisse tonsuram Monachorum ab ea, quæ est Clericorum, certum est: cum illi non tantum verticem capitis, sed totum ferè caput radere consueuissent,

vt

vt ſic nimirum, quod eſſet ipſorum vitæ ſtudium declararent. Abraſionẽ quippe capitis ſymbolum, ac hieroglyphicum fuiſſe lugentis, atque mœrentis hominis, non tantum proditur teſtimonijs diuinæ Scripturæ, ſed aſſertionibus etiam externorum. De Iob enim habetur teſtatum, cum ſuarum cladium nuncios accepiſſet, tõſo capite adoraſſe. Et Iſaias: Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & planctum, ad caluitium, & ad cingulum. Et illud Micheæ: Decaluare, & tondere ſuper filios delitiarum. Dilata caluitium tuum; quod verò ad Gentiles pertinet barbaros. Hæc Suetonius: Regulos quoſdam barbam poſuiſſe, & vxorum capita raſiſſe, in indicium maximi luctus. Facere id conſueuiſſe Argiuos mœroris cauſa, teſtatur Herodotus: affirmat id ipſum Lucianus de Syris, qui funera raſo capite celebrarent. Solum apud Romanos, quod tonſa barba, ac capite ſolerent incedere, in maximo luctu capillum, & barbam promittere mos fuit, vt Suetonius de Iulio Cæſare ſic tradit: Diligebat vſque adeo, vt audita clade Titurriana, barbam capillumq; ſubmiſerit, nec antea ademptſit quàm vindicaſſet; & de Auguſto: cum audiſſet cladem Verianam in Germania acceptam, adeo, inquit, conſternatum ferunt, vt per continuos menſes barba, capilloq; ſubmiſſo, caput interdum foribus illideret. Oſtendit eadem in Caio: Reos quoque apud Romanos, mœroris cauſa, capillos dimittere ſolere, teſtatur Plinius. At nõn reos tantum, ſed & reorum amicos, & affines id facere ſolitos, colligitur ex Vlpiano I.C. & Seneca.

Iob. 1.
Iſai. 24.
Michea 1
Suet. in Caio Calig. cap. 5.
Herodot. lib. 1. diſt.
Lucia. de Dea Syria
Suet. in C. Iulio. cap. 67.
Idē in Caio cap. 24.
Plin. lib. 7. ep. 27.
l. veſtem. ff. de iniurijs.
Senec. lib. 9. declam. 4. reſp. 27.

Vt igitur, quod Monachorum erat officij, ſolitariam vitam agere, ac lugere peccata, hoc etiam corporis cultu profiterentur, optimè, iureque conſultum eſt, vt ipſa initiatione Monaſticæ conuerſionis, capita raderent. Hæc etiam Baſilius in regula Monachorum ſuorum, quam ſcripſit, nuper Romæ excuſa, demonſtrat. De eadem Monachorum tonſura Paulin. ad Seuerum ſcribens, agit his verbis: Nos adeant, & recuſent conſeruuli, & compallidi noſtri, non veſtibus pictis ſuperbi, ſed horrentibus cilicijs humiles, nec

Paulin. epiſt. 7.

clamyde

clamyde curta lini, sed singulis palliati: nec balteo, sed veste succincti: nec improba attonsi capitis fronte criniti; sed casta informitate, capillum ad cutem cæsi, & inæqualiter semitonsi, & destituta fronte præerasi, & ornatu pudicitiæ inornati. Itemque de Monachis cute tenus attonsis loquitur Saluianus Massiliensis, dum deplorans Africanæ Ecclesiæ acerbissimum statum, hæc ait: Non sine causa itaque istud fuit, quod intra Africæ Ciuitates, & maximè intra Carthaginis muros palliatum, & pallidum, & recisis comarum fluentium vittis, ad cutem tonsum videre, tam infelix ille populus, quàm infidelis, sine conuicio atque execratione vix poterat. Et si quando aliquis Dei seruus, aut de Aegyptiorum cœnobijs, aut de sacris Hierosolymorum locis, aut de Sanctis Eremi, venerandisq; secretis ad Vrbem illam officium diuini operis accessit; simul vt in populo apparuit, contumelias, sacrilegia, & maledictiones excepit. Nec solum hoc, sed improbissimis flagitiosorum hominum cachinnis, & distantibus ridentium sibilis, quasi taureis cædebantur, verũ vt si quis ea inscius rerum fieri videret, non aliquem hominem ludificari; sed nouum, inauditumq; monstrum abigi, atque exterminari arbitraretur; Et post multa exaggerando congesta, demum hæc ait: Et miramur, si nunc barbaros illi perferunt, cum videamus, quod sancti viri in illis locis barbaros pertulerunt? Iustus ergo est Dominus, & iustum iudicium suum, &c. Itaque ex his videas in derisores tonsuræ Monasticæ seuerissimè Deum vltum esse, qui Vandalis eam Prouinciam per centum annorum spatium dederit deuastandam.

Salu. lib. 8. de vero indic. & prouiden. Dei. in fi.

Quod verò, vt vidimus ex Saluiano, Monachi tonsurati deriderentur ab Afris, inde fortasse accidit, vt quidem in eadem Prouincia pseudomonachi abiecta tonsura, comam remitterent; aduersus quos Augustinus hæc ait: Sed alij sunt, quos isto sermone corripimus; illos autem, qui hoc vno vitio capillorum, contra præceptum Apostolicum demissorum, offendunt, & perturbant Ecclesiam. Redarguit & Epiphanius illos, qui in Mesopotamia agerent Monachos,

Aug. de oper. Monach cap. 33.

quod

quod comam prolixam gererent: Nam alienum eſt,inquit, à Catholica Eccleſia ſaccus conſpicuus, & coma extenſa. Fertur, ſed extra numerum aliorum Canon Nicænus de tonſura Monachorum,in hæc verba: Monachi alia habeant indumenta, & mores, quàm habent laici, ac caput tondeant in modum coronæ. Protulit hæc, & alia (vtcunque ſint) ex Arabicis exemplaribus Turrianus, & edidit, à ſe latinitati donata, quæ tamen cum fulciantur innumeris ferè aliorum teſtimonijs, prorſus contemnenda non ſunt. Nam ad hoc reſpicit, quod Socrates de Iuliano Apoſtata ſcribit; ipſum abraſa cute, vitam Monaſticam ſimulaſſe. Sic igitur, quod caput radere, eſſet velut hieroglyphicum lugentis hominis: Ea de cauſa ſtatuit tertia Synodus Toletana, vt publicè pœnitentibus, in primis Epiſcopus,vel Presbyter caput tonderent, vt ſic in cinere, & cilicio pœnitentiam agerent.

Socrat.hiſtor.lib.3. cap. 1.

Tolet. Synod.c.12.

Epiſcopos etiam, magna ſaltem ex parte capitis abraſos fuiſſe,ſatis expreſſiſſe viſus eſt Gregorius Nazianzenus, qui agens aduerſus Maximum, ex Cinico Philoſopho mox factum Epiſcopum, hæc ait: Cum ad Paſtoralis muneris adminiſtrationem nihil aliud omnino contulerint,quàm quod comam, cui alendæ & ornandæ turpiter ſtuduerant, raſerint. Porrò quoniam eiuſmodi capitis raſionem, conſueuiſſe à maioribus dici coronam,ea quæ dicta ſunt ſuperius, ſatis apertè ſignificant. Ad huiuſmodi coronam alluſiſſe videtur Euſebius Pamphili in ea oratione panegyrica, quam habuit in Dedicatione Eccleſiæ à Paulino Tyri Epiſcopo ædificatæ, cum ſic exorditur: Amici Dei, & Sacerdotes, qui ſacroſancto poderis indumento, cæleſti gloriæ corona diuina vnctione,& ſacrata Spiritus ſancti circumueſtiti,&c. Inde etiam prouenit, vt conſueto more loquendi ſoleret Populus, cum Epiſcopum interpellaret, & ab eo aliquid enixius peteret, per coronam ipſius obteſtari; quod Auguſtinus ſcribens ad Proculeianum Epiſcopum, docet his verbis: Honorant nos veſtri, honorant vos noſtri, per coronam noſtram nos adiurant veſtri, per coronam veſtram

Greg.Nazianz. orat.in Maxim.

Euſeb.hiſtor. lib. 10. c. 4.

Aug. epiſt. 147.

vos adiurant nostri. His igitur adeo manifestè, certoque probatis, non tantum Sanctorum Patrum, sed Ethnicorum immo omnium hominum, etiam hæreticorum per coronas Sacerdotum, tanquam quid sacrum obtestantium testimonijs. Quid est, quod obijci possit ex Hieronymo, quasi ipse minus probet capitis, ac barbæ rasuram, cum citati nuper auctores, de vtraque re apertè testantes, ipsius Hieronymi vixere temporibus, vel haud multum post; qui quidem eam, quæ esset eius temporis Ecclesię consuetudo, planè declarant; sed ex his omnibus, quæ idem Hieronymus scribit in Ezechielem, vel in Isaiam, tres eliciuntur positiones; ac ea in primis ipsum non probare capillorum, siue barbæ tonsuram, solitam fieri more Gentilium; Sed in his nulla est discrepantia cum his, quæ superius dicta sunt, cum idem ipse gentium ritus ab omnibus æque damnetur. Secunda positio ea est, quod & ipse pariter cum cæteris consentit, capillos esse tondendos; sed sic tamen, vt operta, quod ait: sic cutis, sicque videas, nec in his ipsum à prædictis differre, nisi quod, non nouacula ad cutem vsque radi velit capillos, sed forficibus, atque depresse, dummodo tamen non appareat nuda cutis: sed quam hæc sit differentia, nemo non videt. Tertia demum eius conclusio, qua barbæ non probat tonsuram, ait ipse in Oriente agens. Quid mirum si Orientalium Clericorum, & Monachorum consuetudinem comprobauit? *Hieron. in Ezech. c. 44 & in Isai. c. 5. & 6.*

His dictis, atque euidenter elucidatis, iam ad rerum gestarum narrationem reuocanda esset oratio, nisi suscepti semel argumenti ratio admoneret, ac penè cogeret, vt etiam de barbarum tonsura aliqua saltem leuiter attingamus. Et in primis, quod ad eos, qui foris sunt pertinet: sicut capita, ita & barbam radere commune fuisse quibusdam Sacerdotibus Idolorum, præter illa, quæ dicta sunt. Baruch de Babylonis Sacerdotibus testatur, cum ait: In domibus eorum Sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, & capita & barbam rasam, quorum capita nuda sunt. Quamobrem in diuina Scriptura hæc eadem prohibentur. In Leuitico enim *Baruch 6* *Leuit. 21.*

N secundum

ſecundum vulgatam hæc leguntur: Non radent caput, nec barbam, nec in carne ſua facient inciſuras. Eadem quoque apud Ezechielem leguntur. Apud Syros eandem conſuetudinem viguiſſe apud Sacerdotes Deæ Syriæ. Lucianus eorum Gentilis, qui eo argumento libellum ſcripſit, teſtatur. Quapropter tota vis legis in eo verſatur, vt Iudæos cohiberet, quæ proximæ Prouinciæ facerent Idolorum ſacrificia; qui eo modo caput, & barbam tonderent, ac cultris ſuas ſibi carnes inciderent, ſicque ea, quæ illi faciebant, lex eis prohibuit Sacerdotibus. Hæc vt clariora fiant, reddamus hic verba, quæ ex eodem Leuitici libro ſuperius citata ſunt: Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam, & ſuper mortuo non incidetis carnes veſtras, neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis. Ac videamus quàm verè hæc eadem à prædictis Sacerdotibus Deæ Syriæ factitari ſolita eſſe. Idem Syrus autem, ibique verſatus egregiè memoriæ tradat. Nam in primis agens de antiquitate templi eius, atque cultu, multorum refert fuiſſe ſententiam, vt à Deucalione fuerit excitatum; Et licèt alias referat de ea re opiniones; antiquiſſimum tamen planè illud fuiſſe, vna omnium erat aſſertio, in eo exectos viros, glabros ſacrificare conſueuiſſe, eoſdemque ſe cultris incidere inter immolandum teſtatur; quod & Apuleius, dum eadem de Aſſiria agit, affirmat rurſum illuc accedentes capita radere, & ſupercilia, necnon & barbas deponere ſolitos ibidem Lucianus enarrat. Inſuper, quod item in Leuitico eſt præceptum ne barbas radant, neque incidant carnes, atque quod mox additur: neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis. Hæc eadem ab illis factitari ſolita, idem Lucianus eodem in loco tradit his verbis: Certis autem notis compunguntur omnes, alij quidem in vola manus, alij autem in ceruice; & inde eſt, quod cuncti Aſſirij notas inuſtas habent. Hæc Lucianus, qui & multa ibi recenſet de illorum ritibus, cum Hebræis communibus. Quam igitur, qualemue capillorum, & barbæ tonſuram prohibuerit lex diuina, ex dictis nulla remanet penitus dubitatio, vt ex his planè

Ezech. 4.

Lucia. de Dea Syria

Leuit. lib. 19.

videas quàm inuidiosè, atque iniustè pariter calumnientur, qui legis diuinæ prætextu, in Clericos ac Monachos Catholicæ Ecclesiæ inuehuntur. Quod verò deducunt Nouantes ex Epiphanio, quasi ex Apostolorum institutione non licere, nec caput, nec barbam radere, ipso affirmante, ac sic dicente: De barba quidem in Constitutionibus Apostolorum, dicit diuina Scriptura ac doctrina: Non corrumpas, hoc est, non seces pilos barbæ, neque meretricio more ob comam efferaris. Vnde accepta hæc sint, exactè perquirendum est. Nullus certè de his Canon est Apostolicus, sed tantùm quæ in Constitutionibus Clementis nomine sic scripta leguntur: Fidelis cum sis & homo, non licet tibi nutrire capillum, & in vnum complicare, quod est delicatum & molle, vel discerniculo discriminare, vel flauum facere: quoniam quidem lex vetat, inquiens: Non faciatis vobis rotunditatem ex coma capitis vestri, neque incisiones; neque verò licet barbæ pilos corrumpere, neque hominis figuram, præter naturam mutare. Non scindetis, inquit lex, superficiem barbæ vestræ; hoc enim mulieribus decens Creator Deus statuit, viris indecorum esse iudicauit. Hucusque Clemens. Ex his verò satis perspicuum redditur, tum ex his, quæ Clementis nomine habentur constitutiones, tum etiam ex Epiphanij sententia, qui eas citat, sic diuinam legem (si modo eam sequendam dixerimus lectionem) ita & Apostolos (vt Deus authenticum esse librum) vetuisse barbæ pilorum incisionem, cum comæ capitis non tantum promittantur, sed & fœminarum more crispentur, vel aliter in rotundum artificio componantur; Adeo vt sic culti, fœminæ repræsentarent effigiem, potius quàm viri. Hinc & illa iuxta eiusdem Epiphanij querela de Monachis, quos diximus Mesopotamiæ, qui muliebres, vt ait, producerent comas: cum è contra laudet Ecclesiæ filios in tonsura reuerendos; reprehensibilis enim habebatur illa barbæ rasio, cum capilli, more mulierum promitterentur. Cæterum sicut nec viri capitis comam radi, ita nec etiam barbam, non tantum diuinā Scripturam non prohi-

Epiph. hæres. 80.

Cōstit. Apost. lib. 1. c. 4. in fin.

bere, sed etiam prædicare, atque aliquando præcipere, com-
Isai. 7. & 15. plura Prophetarum loca demonstrant. Barbam enim, cum
Hierem. 41. & 48 capite radere, erat maximi omnium mœroris, ac luctus hie-
Ezech. 5. roglyphicum, adeo vt hæc rectè Monachis conuenire nul-
lo iure negare possit. Si autem ex capillorum promissione,
1. Cor. 11. vel tonsione Paulus Apostolus item hieroglyphicum si-
gnauit, cum ait: Vir si comam nutriat, ignominiæ est illi: mulier si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt (vt dictum est supra.) Quis prohibet ex barbæ tonsura mysterium itidem consignare? nimirum, si cum à natura barba data sit homini, ob decorem & gloriam, lugens ac mœrens, ac proinde Monachus, qui se perpetuæ pœnitentiæ mancipauit ergastulo, ea etiam à natura sibi data velit carere gloria: Cum præsertim eiusdem
Beda in 1 Esdr. 9. rei alia quoque mysteria esse possint, quæ inter alios Beda pluribus declarauit, & alij. Quod verò his aduersantes non admittant hæc, esse turpe existimantes, amputare barbam, nimirum barbæ hieroglyphicum, ex auctoritate scriptorum Gentilium, dicerent esse virtutem. Cur apud eosdem Apol-
Tertull. lib. de spectac. c. 23 lo Saturnus (quod ait Tertullianus) & Bacchus imberbes finguntur? adeo vt fateantur necesse est, vnius eiusdemq; rei plures esse posse significationes, atque mysteria; nimirum, vt qui pilos consideret esse excrementa naturæ, eos qui resecet, atque radat; abijcere se superflua, necessa-
Clem. Alex. in Pedag. lib 3. rijsq; contentum esse profiteri. At quoniam non æque Monachi omnes, nedum Clerici abrasis barbis incedere consueuerunt; nec pedagogus Christianus barbam nouaculæ subiecit, sed tantum forficibus: aliamq; prorsus diuersam Orientalium ab Occidentalibus consuetudinem, moremque fuisse, certum est: nam in Ecclesia Orientali nunquam barba rasos inuenimus Monachos, vel Clericos, secus autem in Ecclesia Occidentali, cuius rei diuersitatis origo est accuratius peruestiganda.

Et vt primum dicamus de Clericis, qui in Ecclesia præsertim Occidentali longè antiquiores sunt Monachis: inuenimus hac ex parte, secundum morem diuersarum Prouinciarum,

ciarum,tam Laicos, quàm Clericos inter Gentiles viuentes, agere consueuisse. Et in primis, vt quia in Oriente tam Iudæi, quàm Græci barbatos incedere vsum haberent, Christianos inter ipsos positos, itidem factitasse. In Occidente verò, atque potissimum Romæ; quoniam, qui præsertim maturioris ætatis (vt auctor est Gellius) essent, tanquam quoddam nobilitatis insigne, radere barbam consueuerunt: notatus est enim à Dione, & alijs Adrianus, qui primus omnium barbatus incessit, vel alij pauci post eum; sed non sic tamen, vt cæteri Romanorum ipsos imitarentur) Christiani Romæ agentes, cum honestus spectatusque haberetur eiusmodi communis omnium cultus; nec aliqua, vel leuis saltem esset eius obseruationis superstitio (nam alia ratio erat Isidis Sacerdotum radentium etiam supercilia) Cur non sicut cæteri abrasi incederent barba? Sic igitur Clementem, sic Pudentem Senatorij ordinis omnes, sic denique siue Romanos, siue cæteros Romæ agentes, exceptis Orientalibus attonsos barba fuisse, nulla dubitatio esse debet. Certè vestitu tantum, non barba ab Ethnicis fuisse Christianos distinctos, vt qui pallio amicti solerent incedere, Tertullianus sæpe testatur. Cumque non sicut pallium Christianorum illi sugillarent, & barbam, eos constat more cæterorum barbis attonsos incedere consueuisse. Verum affectata illa nimis barbæ non attonsio, vel abrasio; sed auulsio potius dicenda, ab ipsis Gentilibus etiam condemnatur, vt de Iulio Cæsare, & Othone Suetonius memoriæ prodidit. Tertull. etiam huiuscemodi notat, cum ait: Barbam acrius cedere, interuellere, circundare capillum, & componere, & cætera. Chirurgi enim instrumento, quod dicebatur volsella, & alijs medicamentis (vt idem auctor testatur) fœmineum vultum penitus affectabant. Cæterum barbæ illa abrasio, quæ more maiorum absque fuco, arteve simpliciter facta esset, æque communis Romanis omnibus erat. Quin etiam inter Græcos nonnullos in suis ipsorum regionibus, quo se Romanorum studiosos esse, signo aliquo præseferrent, testatur Dio consueuisse, contra Græcorum

Gell. lib. 3 cap. 4.

Dio. in Adr.

Sueton in Iul. Cæs. & Otho.

Tertull. lib. de cultu fœm. cap. 8.

Idē lib de Pallio c. 4.

omnium,

Dio. Chrisost. orat. 36. omnium, ſuorumq; Gentilium conſuetudine barba raſos incedere more Romano. Quod plus cæteris, qui Romæ agerent præſtitiſſe, nullus iure poterit dubitare. Cæterum iſtud ipſum, quod agerent, Romanæ Eccleſiæ Chriſtiani præſtitiſſe, etiam cæteros orbis Occidentalis fidelis, eoſdemque libenter eſſe imitatos, vnde deſcenderent, facilè exiſtimare quis poterit; Nam de Sacerdotibus Galliarum perſpicuum eſt, barba raſos fuiſſe. Eſt de ea re manifeſtum exemplum in Sidonio Apollinari, qui de Germanici Epiſcopi Cantillanenſis corporis cultu ſic ſcribit: Veſtis aſtricta, tonſus, cothurnus, crinis in rotæ ſpeciem acciſus, barba intra rugarum latebras, merſis ad cutẽ ſecta forficibus, &c. Sid. lib. 4. ep. 13. Seruare in his igitur locorum conſuetudinem, vel ſecundum cuiuſque Prouinciæ mores, vel barbati, vel attonſi barbis incederent Sacerdotes, velut lege quadam fuiſſe præſcriptum, ex eo ſaltem poteſt facilè perſpici. Quod cum ſæpe ſæpius Occidentales vnà cum Orientalibus Sacerdotibus ad publicos conuentus Epiſcopi conueniſſent, nulla vnquam de his aduerſus ſe, inuicem negotium factum eſſe; neque vlla prorſus exorta eius rei gratia controuerſia reperitur; raſi nimirum omnes id eſſe legitimum, quod quiſque pro more ſuorum Gentilium facere videtur. Qui primus omnium hæc de barba exprobrare Latinis Sacerdotibus auſus eſt. Photius ſchiſmaticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus fuit, de his ſcribens ad Nicolaum Romanum Pontificem: Hæc, inquam, præſumpſit homo ſchiſmaticus, cum alioqui ipſe eſſet eunuchus, & glaber. Ad quodnam verò tempus apud Romanos eiuſmodi vſus radendi barbas perſeuerarit, haud eſt facilè definire. Conſtat tamen, regnantibus etiam Gothis in Italia, eundem morem eſſe ſeruatum. Quamobrem Ennodius Ticinenſis ſuis verſibus vehementer exagitauit hominem, qui more Gothorum prolixam geſtaret barbam, & ſecundum Romanorum conſuetudinem, lacernam indueret. Hæc enim habet in Iouinianum his verbis:

Barbaricam faciem Romanos ſumere cultus
Miror, & in modico diſtinctas corpore gentes.

Ac

Ac iterum:

Romuleam tegetem vox oris nubila fuscat.
Oppressit vestes, tenebroso tegmine vultus.

Idemque rursus:

Nobilibus collis genium malè compta lacernis,
Discordes miscens inimico fœdere proles.

Hæc Ennodius in Iouinianum, quod haberetur loco prodigij, lacernatum hominem gestare barbam. Porrò, & si sensim pristinus ille immutatus est vsus, cum Barbari Romæ, atque in Italia diutius morarentur; tamen quod ad Clericos spectat, sic viguit eius rei obseruatio, vt non viuere more maiorum, ferè religio haberetur; sicque factum est, vt penes eos eiusdem rei vsus inuiolatus, & constans plurimis sæculis perdurauit; monentibus id præsertim Romanis Pontificibus. Extant enim eo argumento scriptę litteræ Gregorij Papæ Septimi ad Iacobum Episcopum Calaritanum, iubentis, vt Clericos suos omnes, barbam radere cogeret: Idq; ex maiorum consuetudine vindicantis: affirmantis nimirum ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ, id illibatè esse seruatum: idemque de ijsdem etiam ad Ducem Sardiniæ dedit epistolam: Hæcque omnia anno Domini millesimo octuagesimo tertio, nonis Nouembris, Indictionis quartæ. Sed de his iam penè contrarius irrepsit vsus, nec constans habetur vbique ritus; cum alij tondeant, radant alij, alij rursus eandem barbam promittant, absque iactura fidei, vnusquisque abundans in sensu suo.

Dictum supra est, ex Concilio Toletano: desuper caput radant; idest demissè tondeant: sic enim olim fiebat forficibus scilicet, non autem nouacula, vt colligimus ex Clemente Alexandrino libro 3. pædagogiæ capite 11. qui sic dicit: Pili tondendi sunt, non nouacula, sed tonsorum forficibus. Item ex Optato Mileuitano libro secundo contra Parmenianum, vbi arguit Donatistas, quod Catholicis sacerdotibus per vim capita raserint: Docete, inquit, vbi vobis mandatum sit, radere capita sacerdotibus, cum è contrario tot sint exempla proposita? Fieri non debere ex Hieronymo

Clem. Alex. lib. 3. Pædag. c. 11.

Optat. Mileuit. lib. 2 cont. Parmen.

Hier. in c. 44. Ezec. ronymo in cap. 44. Ezechielis, vbi dicit: Sacerdotes non debere comam alere, nec tamen radi; sed ita tonderi, vt cutis tecta maneat. Denique ex Dionysio, Epiphanio, Athanasio, Palladio, Augustino, Isidoro, Beda, Concilio Carthaginensi 4. & Toletano, idem colligitur: cum apud omnes illos, tonsuræ quidem, non autem rasuræ mentio fiat. Prædicta igitur verba Aniceti Pontificis, modo illo, quo supra explicare, quàm integram epistolam (quod facit Bellarminus de Monachis cap. 40.) propterea in dubium vocare, Valent. to. 4. disp. 9 conuenientius est, ac tutius. Vide Valen. tom. 4. disput. 9. quæst. 5 prin. 3. De annexis sacramento Ordinis.

In modum spheræ, idest coronæ, vel circuli, quia Patres, & Concilia, dum prædictis locis, de tonsura Clericorum, aut Monachorum loquuntur, eam communiter coronam nominant, propterea nimirum, quod tonsura coronæ figuram habeat causam, & rationem huius tonsuræ clericalis gestatæ, alij aliam adsignant. Prima est Dionysij, vt illa nudatione capitis significetur vita aperta, & pura, cui Ecclesiastici studere debent. Secunda est Bedæ lib. 5. hist. Anglic. cap. 22. vt spinea Christi corona, quam Clerici maximè in memoria habere debent, repræsentetur. Tertia est Isidori lib. 2. de offic. cleric. Rabani lib. 2. de instit. cleric. cap. 1. vt significetur, regale esse Christi sacerdotium, cuius gubernatores tali corona redimitos esse oporteat, vel etiam vt significetur Ecclesiasticum animum, qui est in homine: sicut vertex in capite debere esse nudatum à vitijs, spoliatum affectu superfluitatum; ac demum apertum, & expeditum ad diuinas inspirationes facilè percipiendas valentia prædictis locis, sed & alia ab his diuersa, de Clericorum tonsura adducitur causa à Germano Episcopo Constantinopolitano his verbis: Duplex corona circumposita capiti Sacerdotis, capillorum significationem imaginem refert venerandi capitis Apostoli Petri, qui cum missus esset ad prædicationem Domini & Magistri, ei tonsa est ab his, qui eius sermoni non credebant, vt illuderetur ab ipsis, eisq; Christus magister benedixit, & infamiam in honorem, illusionem

Bed. lib. 5.

in gloriam conuertit, & posuit super caput eius coronam, & (vnde constat eam, quæ Principi Apostolorum derisionis, & ignominiæ causa illata est nota infamiæ, totius Ecclesiæ honori cessisse. Vide Bellarmin. Valent. &c. allegat. locis.

Et vt perspicuè Aniceti zelum sanctæ magnificandæ, atque ampliandæ Ecclesiæ pateat, multi scribunt de ordinibus, quos varijs in materijs instituit, quos quia eius epistola decretalis amplè amplectitur: Nos hic eam adducemus, quemadmodum in primo Conciliorum tomo reperimus. Ex hac decretali epistola comprehendi, & colligi potest sanctitas, auctoritas, sapientia, atque vniuersalis pastoralis cura S. Aniceti.

CAP. XII.

Aniceti Papæ epistola decretalis ad Episcopos Galliæ, ex tomo I. Conciliorum.

I. De ordinationibus Episcoporum, & de causis eorum.
II. De Primatibus, & Metropolitanis.
III. Si Metropolitanus sine consilio egerit, vel si Episcopi eum suspectum habuerint.
IV. De tonsura Clericorum, & habitu.

Anicetus vniuersis Ecclesijs per Galliæ Prouincias constitutis, in Domino salutem.



BONORVM operum, & spiritualium studiorum, Deum auctorem esse non dubium est, qui bonorum hominum incitat mentes, & adiuuat actiones. Quod nobis euidenter apparuit, cum inter longinqua spatia regionum, vnum corda iusta senserunt consilium, & quæ desiderabatis responsa, non vnius, sed plurimorum epistolæ intimarunt. De ordinationi-

O

nationibus Episcoporum, super quibus nos consulere voluistis, olim in sancti prædecessoris nostri Anacleti ordinationibus, quædam iam decreta reperimus. Scimus enim beatissimum Iacobum, qui dicebatur Iustus, qui etiam secundum carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro, Iacobo & Ioanne Apostolis, Hierosolymorum Episcopum esse ordinatum. Si autem non minus, quàm à tribus Apostolis tantus vir fuit ordinatus Episcopus, patet profectò, eos formam, instituente Domino, tradidisse, non minus, quàm à tribus Episcopis, Episcopum ordinari debere: sed crescente numero Episcoporum, nisi necessitas interuenerit, debent etiam plures augeri; idest si Archiepiscopus diem obierit, & alter ordinandus Archiepiscopus electus fuerit, omnes eiusdem Prouinciæ Episcopi, ad sedem Metropoleos conueniant, vt ab omnibus ipse ordinetur. Oportet autem, vt ipse, qui illis omnibus præesse debet, ab omnibus illis eligatur, & ordinetur. Reliqui verò comprouinciales Episcopi, si necesse fuerit, cæteris consentientibus, à tribus iussu Archiepiscopi consecrari possunt Episcopi; sed melius est, si ipse cum omnibus, eum, qui dignus est elegerit, & cuncti pariter sacrauerint Pontificem. Et licet istud, necessitate cogente concessum sit: illud tamen, quod de Archiepiscopi consecratione prædictum est, atque præceptum; idest, vt omnes Suffraganei eũ ordinent, nullatenus immutari licet; quia qui illis præest, ab omnibus Episcopis, quibus præest, debet constitui. Sin aliter præsumptum fuerit, viribus carere, non dubium est: quia irrita erit eius, secus acta ordinatio. Ipse autem Archiepiscopus nihil de eorum causis, aut de alijs communibus, iuxta statuta Apostolorum, absque cunctorum illorum agat consilio: nec illi, nisi quantum ad proprias parochias pertinet, sine suo: quoniam tali gaudet concordia Altissimus, & gloriatur. In membris suis nulli Archiepiscopi Primates vocentur, nisi illi, qui primas tenent Ciuitates, quarum Episcopos Apostoli, & successores Apostolorum regulariter Patriarchas, & Primates esse constituerunt, nisi aliqua gens deinceps ad fidem conuertitur:

Supr in 2. Anacl. ep. — *66. dist. Archiep. ab omnib.* — *Ibidem.* — *9. q. 3. Archiepiscopus nihil.* — *9. q. dist. nulli Archiepiscopi.*

cui necesse sit, propter multitudinem eorum, Primatem constitui; reliqui verò, qui alias Metropolitanas sedes adepti sunt, non Primates, sed Metropolitani nominentur. Si autem aliquis Metropolitanorum inflatus fuerit, & sine omnium Comprouincialium præsentia, vel consilio Episcoporum, aut eorum, aut alias causas, nisi eas tantum, quæ ad propriam suam parochiam pertinent, agere, aut eas grauare voluerit, ab omnibus districtè corrigatur, ne talia deinceps præsumere audeat; si verò incorrigibilis, eisq; inobediens apparuerit, ad hanc Apostolicam Sedem (cui omnia Episcoporum iudicia terminare præcepta sunt) eius contumacia referatur, vt vindicta de eo fiat, & cæteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatem, vel itineris asperitatem, graue ad hanc Sedem eius causam deferre fuerit, tunc ad eius Primatem causa deferatur; & penes ipsum huius sanctæ Sedis auctoritate iudicetur. Similiter si aliquis Episcoporum, proprium Metropolitanum suspectum habuerit, apud Primatem diœceseos, aut apud hanc Apostolicam Sedem audiatur. Qui maior est vestrum (secundum Dominicam iussionem) sit vester minister: & quanto maior es in omnibus, humilia te ipsum. Charissimi nolite inter vos contendere, nec quærat aliquis maior esse; sed iuxta Apostolum: Diligite vos inuicem, quia charitas ex Deo est: & omnis, qui diligit fratrem, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est: Pascite (inquit Princeps Apostolorum) qui in vobis est, gregem Dei: prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam; & iuxta alium Apostolorum: Fratres, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebat vobis, quoniam in nouissimo tempore venient illusores, secundum desideria ambulantes impietatum. Hi sunt, qui

[Margin notes: 4. q. 3. Si autem aliquis. — Matth. 20 — Marci 10 — Eccles. 3. — 1. Ioan. 4. — 1. Pet. 5.]

ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes. Vos autem chariſſimi, ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei, in Spiritu ſancto orantes, ipſos vos in dilectione Dei ſeruate; expectantes miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti in vitam æternam: & hos quidem arguite iudicatos, illos verò ſaluate, de igne rapientes. Alijs autem miſeremini in timore, odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam. Prohibete, fratres, per vniuerſas regionum veſtrarum Eccleſias, vt Clerici, qui laicis, & ſimplicibus, virtutis, honeſtatis, pudicitiæ, & grauitatis exemplar eſſe debent, ac ſeipſos tanquam ſignum purioris vitæ, rudioribus ad imitationem prudenter exhibere, iuxta Apoſtolum, comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſpheræ radant (vt ſatis, ſuperq; dictum eſt) quia ſicut diſcreti debent eſſe in conuerſatione, ita & in tonſura, & omni habitu diſcreti debent apparere. Hæc vobis Fratres, vt petiſtis, cuſtodienda mittimus, & cuſtodire præcipimus, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernalium; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris, cui honor & imperium per æterna ſæcula. Data 8. Kal. Iunij, Gallicano, & Ruffino viris clariſſimis Conſulibus.

1. Cor. 3.

CAP. XIII.


IR fuit Anicetus ſingulari pietate, atque admirabili religione inſignis, cum res Eccleſiæ optimè diſpoſuerit, & sediſſet annos nouem, minus menſibus tribus, ac diebus ſeptem, fecit ordinationes (ex Damaſo manuſcripto, bibliothecæ Vaticanæ) quinque menſe Decembri: & creauit Presbyteros decem & octo, Diaconos quatuor, Epiſcopos per diuerſa loca nouem: Anonim. ex Bibliotheca noſtra, ordinationes

Damaſ. m s. bibl. vat.

Anon. m. s. ex bibl. noſtra.

tiones quinque mense Decembri: & Baronius item in vita Aniceti ait: Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris, Presbyteros decem & septem, Diaconos quatuor, Episcopos per diuersa loca nouem.

Superest modò, vt ad tempus sui Pontificatus, deueniamus.

Tempus autem sui Pontificatus, Beda in suo Martyrologio decimoquinto Kal. Maias ait: Romæ Sancti Aniceti Papæ, qui sedit in Pontificatu annos vndecim. Damasus manuscriptus biblioth. Vaticanæ: Sedit annos vndecim, menses quatuor, dies tres. Anonimus manuscriptus vetustissimus, ex bibliotheca Altempsiana: Sedit annos nouem, menses tres. Alius Anonimus manuscriptus vetustissimus de vitis Sanctorum: Sedit in Pontificatu annos nouem, menses tres, & dies quatuor. Cessauit Episcopatus dies quinque. Petrus de Natalibus de vita Sanctorum: Sedit annos nouem, menses quatuor, dies quatuor. Martinus Scotus libro 2. ait: Anicetus Papa, decimus post Petrũ, sedit annos duodecim, mensibus quatuor. Platina in Aniceto: Sedit annos vndecim, menses quatuor, dies tres, Post eius mortem vacat dies septem. Martinus Polonus in supplantatione: Sedit annos nouem, mensibus tribus, diebus quatuor; cessauit Episcopatus dies quindecim. Sed in tot, tantasq; scriptorum controuersias, ratio fuit, quia qui prætermisit Cletum Romanum Pontificem, Eusebius anno octauo Marci Imperatoris, successorem Aniceti Soterem ponit. Cæterum quam in multis sequimur, Cresconiana series, nouem tantum annos tribuit Aniceto, & tres menses: Verùm si ratio habeatur diei, quo Pius, qui eum antegressus est, obijt, & quo Anicetus decessisse reperitur, qui quidem dies, tabulis Ecclesiasticis antiquitus adscripti habentur, præscriptum tempus sedis Aniceti ratum, firmumq; haberi debet, cum præsertim indices Vaticani, qui descripti habentur in Codice, qui dicitur, liber censuum ingressum Soteris successoris Aniceti hoc anno Domini ponatur: nobis autem probabilior, & certior Baronij sententia

Beda in suo mart. *Damas. m. s. bibl. vatic.* *Anon. m. s. ex bibl. Altempf.* *Alius anon. m. s. de vit. SS.* *Petr de Natalib. de vit. SS.* *Martinus Scot lib. 2* *Plat. in Anicet.* *Mart. Polon. suppl.*

tia

tia esse videtur, quam in præsenti recipimus, scilicet hoc ipso anno: Anicetus cum sedisset annos nouem, minus mensibus tribus, ac diebus septem, die decima septima Aprilis martyrio clarus migrauit ad Dominum, anno Christi Domini centesimo septuagesimo quinto, in persecutione quarta, sub Antonino; durauitq; totum Commodi Imperium: incepit sub Antonino Pio, completa illa Adriani: & licet Imperator iste bonus fuerit; tamen à suis agentibus mota est magna persecutio, quę dicitur quarta, cõtra Christianos: ab isto Roma duos Imperatores habere cœpit, eorum tempore in Republica imperium administrãtibus, mortuo altero, solus Antoninus Rempublicam rexit, & tam in Oriente, quàm in Occidente, & Gallijs multi martyrio coronati sunt. In Asia Polycarpus cum duodecim, & alijs ex Philadelphia: in Gallia Sanctus Rusticus Viennensis Episcopus, Photinus Lugdunensis Episcopus, cum innumerabili multitudine martyrio coronati sunt, Higinius, Pius. Anicetus, Soter Pontifices; licet Panuinus ita referat in adnotation. vulgar. idiom. in Plat. quod reperitur in Anonim. bibl. Vaticanæ. Scriue Damaso, che Aniceto, & Vittore con martirio morissero; & il medesimo autore non fà mentione alcuna di Sotero, Eleuterio, & Zeferino: & è certo, che la morte d'ogn'vno di loro, in tempi quieti, & pacifici auuenne, & come poco auanti in detto antichissimo libro della Libraria Vaticana sono apertamente chiamati Confessori. Nos verò multum laboris suscepimus, vt librum hunc reperiremus: nunquam tamen potuimus habere, nec reperire; sed tamen ipse Panuinus in epitom. Pont. Rom. ait: Anicetus occisus est, pro fidei Catholicæ defensione, decimo quinto Kal. Maij, anno Christi centesimo septuagesimo tertio; & concordat cum omnibus tam veteribus, quàm recentioribus scriptoribus, quod Anicetus vitam finiuerit martyrij corona, atque hisce temporibus fuit quarta persecutio; & potius id factum est, ex ministrorum malignitate, atque rabie in Christianos, quàm Imperatoris instigatione, & vt præsertim eorum facultatibus potirentur,

Pãuin. in Anicet.

Panuin. in epitom. Põt. Rom.

tur,

tur, atque ista persecutione ita vigente, euenit, vt multi Christiani martyrij palmam sint consecuti. Ideoque non extitit in temporibus placidis, & tranquillis, vt refert Panuinus in Plat. Præter eos plures alij celebres fuere, sub Publio Præfecto, Septem fratres filij Sanctæ Felicitatis, scilicet Ianuarius, Felix, Philippus, Siluanus, Alexander, Vitalis, & Martialis, Ammonius & socij. In Alexandria Theophilus Neateria, cum alijs viginti, Philippus Zenonus cum duodecim famulis. Victor, & Corona in Syria. in Alexandria, Præsidente Antonino, Lucius, Concordia, Germanicus. Smyrnæ in Lycia, Carpo Pergamo in Asia. Papinius Diaconus, & Agatonia mulier nobilis, & alij. Lugduni in Gallijs Alexander, Simphorianus. In Augustoduno in Hispania Victor, & Stephanus in Sicilia. In Persia tricenti & decem Christiani. In Antiochia, in Ponto, in Hispania Marcellinus Tribunus, cum Mammea vxore, & cum Ioanne eius filio, & Petrus cum alijs militibus. In Capua Donatus. Romæ Petrus, & Donatus, cum decem & octo, Smirnæ Metrodotus Sacerdos in ignem iniectus fuit. Cortinæ in Creta S. Philippus Episcopus doctrina, & vita clarissimus, Ecclesiam sibi creditam regens, à furore Gentilium, & Hæreticorum insidijs, eandem tutatus est. Apameæ in Phrygia SS. martyres Caius, & Alexander, qui vt scribit Apollinaris Hierapolitanus in libro aduersus Cataphrygas hæreticos in persecutione M. Antonini, & Lucij Veri glorioso martyrio coronati sunt. Apud Comanas in Ponto Sanctus Hermes Hemilites ab innumeris, & sæuissimis tormentis ob Deum liberatus, carnificem ad Christum conuertit, & eiusdem martyrij corona participem fecit; & tamen ipse primus gladio obtruncatus est. Lugduni Photinus Episcopus, Diaconus Vetius, Epagagathes, Moturus, Ponticus, Liblinus, Attalus, Alexander, & Blandina fortissima mulier cum alijs pluribus, quorum fortia inter clara certamina martyrium gloriosè obtinuerunt, multiq; alij hisce etiam temporibus extiterũt Praxedes, & Pudẽtiana inclytæ Virgines, filiæ Pudentis Germani S. Pij antecessoris Sancti

Panu. in Plat.

Apoll. aduers. Cataph.

Ani-

Aniceti. Et patet virgines istas martyrum sanguine loca multa impleuisse.

Ex hoc apertè colligi potest, persecutionem eo tempore aduersus Christianos immanem fuisse, & per consequens nullum extat dubium, quin Anicetus cum sedisset annis nouem, minus mensibus tribus, ac diebus septem, Pontificatu religiosè, sanctèq; administrato. Demum in summa Ecclesiæ perturbatione concitata, pro Christi gloria, martyrio coronatur, decimo quinto Kalen. Maias. Ea enim die natalis eius martyrio illustratur: in Ecclesiasticis tabulis notatus antiquitus reperitur; & tandem gladio interfectus, cum colli amputatione. Et satis probabile est; constat enim ex Spartiano in Geta, maiori ludibrio olim fuisse, decollare sontes gladio, quàm securi; & ideo ait: Cum Antoninus cognomento Caracalla, iussisset Papiniani caput amputari, & securi eum fuisse percussum audiuisse, grauiter ab eo latum, quod eidem Papiniano talem honorem fuisse habitum, & non potius gladio obtruncatum extitisse. Atque ita Anicetus martyrio clarus, obijt in Domino decimo quinto Kal. Maias, & sepultus esse creditur ab Eleutherio eius Diacono (qui post Sotherem ad Pontificiam dignitatem ascendit) via Appia, tertio ab Vrbe lapide, in Arenario, quod erat cœmeterium, ac postea appellatum est vsque ad hodiernam diem Callisti cœmeterium, vbi multi Sacerdotes, & martyres requiescunt. Hic fuit præclarus finis vitæ Sanctissimi Pontificis, & inuictissimi martyris, immo initium perennis beatæq; vitæ. Fidelis Domini dispensator, tam prouidè administrata Christi familia, cui præpositus fuerat, è terris transfertur in cælos, meritas laudes præmiaq; consecuturus à Domino, innumeris perfunctus laboribus, persecutionibus fatigatus, tot difficultatibus, quas in regendo Dei Populo passus est, superatis, pacis & gloriæ tandem præparatum sibi locum inuenit. Inuictus martyr gladij vim non timuit, mortem non exhorruit: ipse caput Ecclesiæ, suum caput libentissimè obtulit amputandum. Huc eum perduxere eximiæ, insignesq; virtutes, quibus

decoratus in vita floruerat. Reſplenduit ſicut Sol in diebus ſuis, non obſcuratus eſt; ſed ſplendidior enituit in occaſu: & modò eius anima regnat in cælis, magnis multisque miraculis à Domino illuſtratus eſt.

CAP. XIV.



T quoniam incidit hìc mentio de cœmeterijs, vt modò de duobus Calepodij, & Callixti: operepretium ducimus, hic breuiter de cœmeterijs agere, quæ in Romanæ Ciuitatis ſuburbijs, vel agro Romano fuiſſe reperimus; & in primis liquet lege duodecim tabularum vetitum fuiſſe defunctum intra mœnia ſepelire, quamuis Spartani, inſtituente Licurgo, intra Ciuitatem, iuxta templa ſepulchra fieri voluiſſent. Romæ autem etſi omnes extra Vrbem ſepeliri ſolerent, qui tamen triumphum egiſſent (vt auctor eſt Plutarchus) intra Vrbem poterant ſepeliri, cogebantur his legibus. Chriſtiani etiam ſuos mortuos extra mœnia ſepelire, niſi fortè quis clanculum (quod ſæpius accidit) cadauer martyris ſuſtuliſſet, ac in domo propria ſepeliſſet: quam quidem legem vſu contrario antiquatã Theodoricus Rex Italiæ, ſed & Leo Auguſtus poſtea penitus abrogauit. Rurſum verò nequaquam more Gentilium Chriſtiani cremabant corpora defunctorum, ſed vnguentis delibuta condiebant more Aegyptiorum, ſicq; pollincta, in eadem loca cum cæteris deferebant, quæ modò Cœmeteria, interdum Areæ tumbæ, Catacumbæ, ſeu Cacacumbæ, vel Criptæ arenariæ, ex loci natura nomine comparato, dici conſueuerunt; ſed cœmeterium vſitatius, hoc nempe nomine illa loca dicentes, quod fides doceret Chriſtianos non mori, ſed rurſus excitandos, interea in Domino obdormire. Ex Hebreis namque accepta videtur eiuſmodi con-

Cic. de legib. lib. 2.

Plutar. in apophteg. laconic.

Plutar. in problem. rom. q. 79.

Apud Caſſiod. cap. 117.

Leo Philoſ. Imp. conſtit. 53

Minut. Felix in Octa. & Tertullian. de cor. mil. & alij.

suetudo sepeliendi mortuos in criptis, loculis in eisdem ex-
Gen. 23. cauatis. Ad hoc namque opus, pater credentium Abraham ab Ephron speluncam duplicem emit. In interiori quoque
Matth. 27 spelunca, didicimus sepulchrũ Domini excisum in petra. Est
Epiph. hæres. 30 de eadem consuetudine recentior memoria apud Epiphanium, hæc dicentem: Abducunt miserum adolescentem post occasum Solis in propinquas tumbas. Sepulchra autem sic appellantur speluncæ, videlicet in petris effossæ, ac constructæ, delectæ sunt ad hoc opus à Christianis Romæ agentibus arenariæ criptæ, de quibus dictum est, ad eum vsum admodum accommodatæ, quorum nomina hic ex Vaticanis tabulis subijcere operepretium existimamus. Præter cœmeteria duo Callixti, & Calepodij, quorum hìc mentio est, illud fuit cum primis nobilissimum positum in Vaticano, in quo S. Petri, & aliorum plurium Summorum Pontificum corpora condita sunt; aliud Ostrianum via Salaria, in quo idem S. Petrus dicitur baptizasse, cuius mentiò est in actis Liberij Papæ; Quintum ad Nimphas dictum, via Nomentana in prædio Seueræ, septimo ab Vrbe lapide. Sextum Sotheris nominatum, haud longè à cœmeterio Callixti, iuxta quod etiam situm erat cœmeterium Zeferini. Octauum Prætextati via Appia. Nonum Pontiani. Decimum Ciriacæ matronæ in agro Verano. Vndecimum Lucinæ via Aurelia. Duodecimum Aproniani via Latina. Decimumtertium Felicis Papæ via Aurelia, secundo ab Vrbe lapide. Decimumquartum Priscillæ via Salaria, tertio ab Vrbe lapide, iuxta criptam S. Crescentionis. Decimumquintum Timothei via Ostiensi, in loco vbi nunc est Basilica S. Pauli. Decimumsextum Nouellæ dictum, via Salaria. Decimumseptimum S. Balbinæ inter viam Appiam, & Ardeatinam, idemque nominatum Marci Papæ. Insuper cœmeterium Iulij via Flaminia, aliud eiusdem nominis via Portuensi, quod numeratur vigesimum. Rursum cœmeterium Damasi inter viam Ardeatinam, & Appiam. Vigesimumsecundum verò, quod dicebatur Anastasij Papæ, tempore pacis, intra Vrbem in Exquillino factum. Vigesimumter-

tium

tium Hermetis. Aliud Nicomedis via Ardeatina. Vigesimumquintum S. Agnetis via Numentana. Vigesimumsextum S. Felicitatis via Salaria. Vigesimumseptimum, dictum Iordanorum. Vigesimumoctauum Neræi. SS. Felicis, & Audacti vndetrigesimum. Trigesimum verò Tiburtij, & Valeriani. Trigesimumprimum SS. Petri & Marcellini, via Lauicana. Trigesimumsecundum Marci & Marcelliani, Quod sequitur trigesimumtertium, dictum Quarti, & Quinti. Item illud S. Agathæ via Aurelia. Trigesimumquintum cœmeterium Vrsi: Et aliud, quod dictum est Cardianum. Trigesimumseptimum, dictum est inter duas Lauros. Trigesimumoctauum ad Cliuum Cucumeris via Salaria. Cœmeterium verò Thrasonis ad Sãctum Saturninum ponitur Trigesimumnonum. Quadragesimum verò Cyriaci via Ostiensi. Quadragesimumprimum Petronillæ. Quadragesimumsecundum Ianuarij. Denique quadragesimumtertium Simplicij, & Seruiliani. Quorum omnium fit mentio in libro de Romanis Pontif. & alijs in locis. Qualia autem esse solerent eiusmodi cœmeteria, alia occasione supra meminimus, descripsimusq; paucis, quod inspeximus, cœmeterium Priscillæ via Salaria, quale & esse reperimus nuper cœmeterium Callixti.

Antiquitus autem, cum in eis essent corpora Sanctorum Martyrum, frequenti cœtu à fidelibus visitari consueuisse, cœmeteria multa sunt, quæ apertè demonstrant, & in primis illud, quod edictis Imperatorum ab eis Christiani (vt scribit Eusebius) arcerentur. Reddita verò Ecclesiæ pace, *Euseb. lib. 7 cap. 10. & 12.* eadem frequentare loca permitterentur. Hieronymus verò de se ipso, cœmeterio quolibet die Dominico visitante, hæc *Hieron. in Ezech. c. 40.* scribit: Dum essem Romæ puer, & liberalibus studijs erudiret, solebam cum cæteris eiusdem ætatis & propositi, diebus Dominicis sepulchra Apostolorum & Martyrum circumire, crebroq; criptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ, ex vtraque parte ingredientium, per parietes habent corpora sepultorum: & ita obscura sunt omnia, vt propemodum illud Propheticum compleatur: Descendant in *Psal. 54.*

infernum viuentes; & raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, vt non tam fenestram, quàm foramen demissi luminis putes: rursumq; pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur,

Horror vbique animos, simul ipsa silentia terrent.

Hucusque Hieronymus.

Cessarunt autem fidelia studia in cœmeterijs adeundis, postquam ea, quæ ibi sita erant corpora Sanctorum Martyrum intra Vrbem delata, & in diuersis Ecclesijs honorificentius collocata.

Sed, & accidit, vt sicut maiorum consuetudine, etsi non ijsdem sepulchris, in eisdem tamen cœmeterijs sepeliebantur, aliorum quoque corpora Christianorum, translatis iam sub Christianis Imperatoribus Sanctorum martyrum reliquijs, in Ecclesias intra Ciuitates positas, in eisdem etiam aliorum fidelium corpora cœpta sint sepeliri: quod eos doceret pietas meritis Sanctorum Martyrum adiuuari animas defunctorum. Nam & Sanctus Maximus ait: Ideo hoc à maioribus prouisum est, vt Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat: dum illis Christus illuminat; nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergo Martyribus quiescentes, euadimus inferni tenebras, eorum proprijs meritis, attamen consocij sanctitate. Hæc Maximus. Eodem quoque consilio S. Ambrosius prope Sanctos Martyres voluit sepeliri. Sed de his pluribus Augustinus.

Max. ser. in natal. SS. octa. aduent. & solut.

August. de cura agenda pro mor.

Legitur Sedem Aniceti Pontificis vacasse diebus decem & septem, qua ratione dicendum, Sotherum eius successorem sedere cœpisse die quarta Maij, & cum requieuisset eius corpus in cœmeterio Callixti 1429. annos, piæ record. Clemens VIII. Pontifex Maximus, zelo & pietate motus, curauit exhumari, vt decenti in loco collocarentur, maiorique deuotione à viris coli possent; & vt pluribus petentibus satisfaceret, fecit vt diligenter inquirerentur in eodem cœmeterio Callixti: & tandem reperta sunt quadraginta quatuor

Corpus Aniceti requieuit in cœmeterio Callixti 1429 annos. Clem. 8. concessit corpus S. Aniceti


tuor

tuor corpora Sanctorum Martyrum, quæ quidem exhumata fuere à quodam Pictore, nuncupato Ioanne Angelo, vulgariter nominato, Toccafondo: & ſciendum hunc virum in huiuſcemodi cœmeteria, & criptas deſcendendi, corporaq; illic exiſtentia indagandi fuiſſe peritiſſimum. Hæc Sanctorum Martyrum corpora in Palatij Apoſtolici ſacrarium delata fuere, & inde diſtributa pluribus reuerenter expetentibus, ac inter cęteros alios, Ego humiliter petij Aniceti corpus, quod notum mihi erat inter ea eſſe, atque eo maior illud habēdi deſiderium me tenuit, quia in officio diuino fit de eo commemoratio, ac in Pontificia dignitate ſe optime geſſit. Prædictus verò felicis recordationis Clemens VIII. amoris ergò, petitionibus meis benignè annuens, corpus S. Aniceti Papæ, & martyris mihi conceſſit, quod 28. die Octobris 1604. à Reuerendiſſimo D. Angelo Rocca Auguſtiniano, Tagaſtæ Epiſcopo, eiuſdem ſanctiſſimi Sacrarij Præfecto mihi allatum, In Confeſſione electis marmoribus contexta; Sacello in meis ædibus à fundamentis ad hoc erecto, in thecis argentea, cupreſſina, & plumbea, ac in labrum flaui marmoris, olim Alexandri Seueri Imperatoris ſepulchrum, via Appia, tertio ab Vrbe lapide repertum, hoc addito monumeuto piè reponi iuſſi. D. Io. Angelo Duci ab Altemps.



MARTYRIS OSSA ANICETI PAPAE
AB ARENARIO QVOD POSTEA CALLISTI
COEMETERIVM APPELLATVM EST
AVCTORITATE CLEMENTIS VIII. TRANSLATA
IOANNES ANGELVS AB ALTAEMPS DVX
SACELLVM OBTVLIT
CORPVS EIVSDEM MARTYRIS
IN LABRVM QVOD ALEXANDRI SEVERI IMP.
SEPVLCHRVM FVIT COLLOCAVIT D.
ANNO DOMINI MDCXVII.


Quem ideo precor sit defensor, protector, & perpetuus patronus huiusce meæ domus. Si diuinarum rerum cognitio, vita immaculata, & martyrium pro Christi nomine (vt omnes fatentur) Virum gloriosissimum in hoc terrarum orbe reddere valent; Quid erit existimandum de Aniceto, in quo hæc simul omnia eminenter enituere?



FINIS.



DE



DE VRNA

IN QVA OLIM ALEXANDRI SEVERI Imperatoris cineres, nunc Diui Aniceti Papæ & Martyris reliquiæ ſeruantur, in Sacello Ducis ab Altaemps

FABII LEONIDAE.

HAEC quæ clauſa Ducis geſſit prius oſſa profani,
Nunc melior, ſacrum ſuſtinet vrna Ducem.
Iam gaude, ò felix, mutato pondere, marmor;
Et pretioſa tui pignora noſce ſinus.
Munera partiri tecum dignatur Olympus:
Nam tu corpus habes Martyris; ille animam.

